DE ARGUMENTI DISPOSITIONE

IN

SATIRIS I—VIII IUVENALIS.

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM

PERMITTENTE AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM LUND.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

JOHAN A. GYLLING,

PHIL. LIC. SMOL.

IN AUDITORIO VIII A. D. VIII K. IUN.

H. IX A. M.

LUNDÆ MDCCCLXXXVI

TYPIS EXPRESSERUNT MALMSTRÖM ET SOC.

Cum ad satiras Iuvenalis recensendas aggredior [1]) primum omnium necessarium videtur profiteri, quid de iis omnino iudicem. Duas enim inter se dissimillimas esse sententias neminem fugit, qui Iuvenalem paulo attentius legerit.

Quarum altera eorum est, qui omnes XVI satiras ab eodem poeta compositas esse putant; altera — nova sane nec satis firmis argumentis fulta — eorum, qui cum Ribbeckio [2]) decem tantummodo satiras a Iuvenale, sex ceteras ab alio et quidem tardi ingenii homine scriptas contendunt. Quamquam haud scio an veritatem lædam, cum dicam de iis, qui Ribbeckio assentiantur, tamquam multi sint. Constat potius Ribbeckium, cum non sine

[1]) De codd. MS disserere omisi, id quod eo maiore iure posse mihi videor, quod tota illa quæstio non proxime cum ea cohæret, quam hoc libello tractare mihi proposui. Constat non exiguum numerum esse horum codd., quamquam maxima ex parte interpolati sunt. Collatis inter se duabus classibus, in quas vulgo dividuntur, inter viros doctos convenit, ut eum codicem, qui nunc Montepessulanus vocatur, sequerentur, quamquam non defuerunt, qui alterius classis codices melioris notæ esse contenderent.

[2]) V. librum eius, qui *Der echte und der unechte Iuvenal,* Berlin 1865, inscribitur.

specie quadam veritatis sententiam suam defendat, tamen fere solum pugnam cum adversariis stipatis sustinere. Neque id nobis iniustum videtur. Nam ut liber eius primo aspectu efficiat, ut multi eum laudent atque approbent, sic certe cum eum finierint facere non poterunt, quin scriptorem operam collocare iudicent in ea re defendenda, quæ omnium minime probari possit. Atque iure quærere posse videmur, num re vera liceat in scriptis poetæ recensendis ita agere ut egerit Ribbeckius. Quid enim fecit? Tamquam si opusculum pueri alicuius ad corrigendum haberet, illa dempsit, hæc in alium ordinem transposuit, omnia adeo confudit, ut de nova imagine poetæ cum Iuvenale exclamemus:

> sed quæ mutatis inducitur atque fovetur
> tot medicaminibus, facies dicetur an ulcus?

Sed iterum quærimus, num liceat ordinem verborum Iuvenalis adeo mutare. In promptu est quid respondere debeamus. Nemo negabit, multis fortasse locis meliorem fieri sententiam, si versus more Ribbeckii transponantur, vel si non meliorem — nam hoc haud scio an gravius a me dictum sit — certe non deteriorem. Sed ne hæc quidem causa satis idonea ést ad Ribbeckium comprobandum. Satiræ enim, quæ in editione eius leguntur, Iuvenalis esse desierunt: Ribbeckii potius appellandæ sunt. Addamus quod non difficile esse debet cuiusvis poetæ versus ita transponere, ut etiam transpositi non sine iucunditate legi possint, sed quos fructus ex tali labore percipere possis? Sit sane insigne documentum ingenii acu-

minis, sed quid amplius? Satin' id est ad nos commovendos?

Et quoniam in librum Ribbeckii incidit oratio, paulo longius progrediamur et animadvertamus, quid sit illud, quod ad emendandum poetam eum impulerit.

Non nobis in animo est omnia ea repetere, quæ contra satiras X, XII—XVI scripsit, qua de re postea nobis erit occasio loquendi, sed non possumus non mirari, quod verba aliquot ignoti scriptoris, quæ in *Vita IV Iuvenalis* leguntur, ante omnia gravissima putet. Sunt vero hæc: *in exsilio ampliavit satiras et pleraque mutavit.* Ea amplectitur, iis nititur: ea elegit, quibus maxime explicaret, cur in Iuvenale mutilando tam acri cultro uteretur. Neque tamen ita illa verba accipit, ut scripta sunt, sed mutato subiecto verborum *ampliavit* et *mutavit* non de Iuvenale quæstionem esse contendit sed ut ipse ait (p. 73) *bibliopolam aliquem sollertem aut poetam esurientem* significari. Sed ex iis omnibus, quæ ad sententiam suam comprobandam attulit, hoc audacissimum esse mihi videtur. Sed hæc hactenus.

Doctissimum virum reprehendere neque volumus neque possumus propter opus, quod magno ingenii acumine, maiore fortasse audacia composuit. Hoc tantummodo studuimus, ut antequam ad ea perveniremus, quæ nobis proposueramus, paucis verbis indicatum esset, utrum Iuvenalem integrum an mutilum præferremus, ne iam in principio libelli multa dixisse, plura et ea graviora reticuisse videremur.

Satira I.

In prima satira Iuvenalis causas explicat, cur ad satiras scribendas aggressus sit. Ita plerique, sed non satis omnia complectentes.

Nam poeta quo studio ductus est occasionem datam non amittendi in hac quoque satira, ubi vitia varia cursu rapido perstringit, ad unum alterumve diutius remanere non neglegit. Quid? si quartam fere partem satiræ in condicione misera clientium depingenda consumit, nonne iure statuimus hic plura latere quam quæ vulgo ab editoribus observata sint? Quodsi copiosius de clientibus disseruit Iuvenalis non ideo contendendum est, hanc satiram ob eam causam scriptam esse, ut vitia divitum in pauperes homines castigarentur.

Quamquam enim satiræ Iuvenalis ita compositæ sunt, ut in singulis singula vitia pertractentur, negari non potest, quin in hac prima hæc accurata dispositio plane omissa sit. Cuius rei causa manifesta est, nam cum ibi poeta de iis causis loquatur, quibus ductus ad hoc genus scribendi sese accinxerit, necessario fit, ut varia vitia non unum certum adferat. Sed quantacumque ea vitiorum varietas est, quotquot res occurrunt, facile videmus quid-

nam sit illud, quod in primis proponatur. Hoc enim explicare vult poeta, cur indignatione ductus sit ad satiras componendas. Inde crebræ illæ interrogationes, ira et indignatione plenæ, inde varia illa vitiorum enumeratio, inter quæ mentionem sportulæ tam insignem locum tenere vidimus.

In principio satiræ poeta de suo scribendi genere loquitur atque se iisdem quibus Lucilium telis pugnaturum esse minatur. Ad hoc consilium etiam in extrema parte satiræ revertitur. Totum illud, quod intercedit inter hanc primam et extremam partem, datum est ad consilium poetæ probandum. Sic universam huius satiræ œconomiam, ut aiunt, adumbramus.

Nam quod ait Hermannus [1], *duabus maxime causis se defendere poetam, primum quia in tanta vitiorum atrocitate indignatio ægre contineatur, deinde quia nullum scribendi genus nunc ampliorem materiam inveniat,* haud scio an ex una duas causas constituerit. Quid enim inter tantam illam vitiorum atrocitatem et amplam materiam re vera interest? Sed hæc leviora sunt; iam in ipso initio satiræ invenimus, quod non sine causa miremur.

Quisquis enim primos duodeviginti versus perlegerit non aliud fingere poterit, quam ut poeta in ceteris versibus vera faciat ea, quæ in his primis minatus sit. Exspectamus ut, quanto maiore indignatione recitationes molestas poetarum reprehenderit, tanto severius eas in

---

[1]) I. Iuvenalis Sat. l. V ex recogn. *C. F. Hermanni* Lips. 1879. Præf. p. XII.

reliqua satiræ parte exagitet, quod tamen minime omnium fit. Quid post talem versum exspectamus, qualis est v. 3:

> impune ergo mihi recitaverit ille togatas
> hic elegos?

Quid nisi ut poeta totus se in eos vertat penitusque telis acutis obruat. Quid si addit idem v. 17:

> stulta est clementia cum tot ubique
> vatibus occurras perituræ parcere chartæ.

Sed ubi est pœna, ubi severitas illa clementiæ opposita? Adde quod v. seq. dicit se eodem, quo olim Lucilium, campo decurrere, i. e. more Lucilii satiras contra inimicos scribere. Atqui versibus prioribus inimicos dixit esse poetas recitantes. His vero plane omissis pila in ea vitia coicit, quibus tunc civitas Romana maxime laborabat.

Non ignoramus, quomodo editores hac in re Iuvenalem defendant. Scilicet cum æquales tanto studio scribendi ardere vidisset, eum quoque calamum poposcisse aiunt, hoc tantum illorum dissimilem, quod satiras, non tragœdias componeret. Quodsi poeta dicere voluisset, sibi quoque in animo esse versus scribere propterea quod poesis ab illius ætatis hominibus tam diligenter coleretur, quid opus fuit eos tanta indignatione reprehendere, quorum ipse exemplum sequebatur? Omnino facere non possumus, quin hac in re poetam constantiam solitam paulum neglegere arbitremur.

Quemadmodum igitur initium huius satiræ habet, quæ si non reprehendere at certe silentio præterire non

possimus, ita in fine aliquid ocurrit, quod paucis verbis dignum videatur.

Tota satira poeta pleno ore invehitur in nefarios suæ ætatis homines; simul ac pedem extra ostium protulit ubique obvius venit universæ illi turbæ, quam tantam esse dicit, ut nullus locus honestis relictus esse videatur. Sed postquam audivimus poetam iratum hæc omnia verbis acerbissimis perstringere atque minari se impavida manu vitia peccatorum esse nudaturum, summa miratione adficimur, cum verba illa v. 170 repente videmus:

> experiar, quid concedatur in illos,
> quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

Negari non potest, quin hæc verba post ea, quæ antecesserunt, admodum mansueta videantur. Post tantas iras, post tot in notissimos peccatores convicia, longe alia verba exspectabamus. Sine dubio sub finem satiræ idoneas causas attulit poeta, cur tutius de mortuis loqui quam de vivis sibi videretur, neque hoc consilium, tamquam si ineptum sit aut minus callidum, vituperamus; sed adeo contrarius finis satiræ est principio, ut hoc quasi prætereuntes digito monstrare voluerimus.

Iam ad singulas partes, ex quibus constat hæc satira veniamus. Incipit a compluribus interrogationibus, quibus poeta molestas illas recitationes, quæ illis temporibus tam solitæ erant, notare et reprehendere vult. Queritur, quod in rebus notissimis rursus et iterum repetendis semper versentur. Studium ipsum scribendi sibi posse probari, *clementiam stultam esse perituræ parcere*

chartæ, sed alteram viam ingrediendam, aliam materiam esse tractandam.

Hæc omnia inter se apte cohærent, modo unus versus, qui manifesto falsus est, amoveatur. Est v. 14:

exspectes eadem a summo minimoque poeta.

Est in codd. ille quidem, sed eius generis est, de quo vel maxime valeant verba illa *G. Pinzgeri*, quibus monet, *versum, qui externis indiciis in suspicionen adigatur, non continuo spurium esse habendum, nisi interna* νοθείας *accedant argumenta; versum autem internis rationibus iugulatum, etsi in cunctis legatur codicibus MS tamen universa illa externorum præsidiorum phalange non satis recte defendi* [1]).

Spurium vero hunc versum esse, primus ut videtur Dobreus (adv. II. p. 387) constituit, quem Ribbeckius (l. l. p. 116) secutus est. Neque id sine iure fecerunt. Etenim hic versus, si quispiam alius, internis rationibus iugulatur. Et per se languet et rapido cursui ceterorum versuum mirum quantum obstat. Quis enim est poeta ille minimus? Cordus vel aliquis ex æmulatoribus eius? Tum Iuvenalis ipse se summum profitetur. An Iuvenalis? Negari non potest, quin hic de se leve interdum faciat iudicium, ut paulo infra v. 79:

facit indignatio versum,
qualemcumque potest, quales ego vel Cluvienus.

Cfr. XIII. 120. Sed illic eo maiore iure poeta se cum

---

[1]) *G. Pinzger* de versibus spuriis et male suspectis in Iuvenalis satiris dissertatio. Vratisl. 1827 (p. 3 adn. 4).

misero quodam homine comparare potest, quod ironiam eius statim ii observant, qui legunt, quibus Cluvienus ille notissimus erat. Illic igitur ironia poetæ aptissima est, v. 14 prorsus nulla invenitur. [1])

Quæ cum ita sint, mira sane ea videntur, quæ a *Weidnero (Iuv. Saturæ erkl. v. A. W.* Leipzig 1873 p. 31) ad hunc versum defendendum allata sunt. Primum negat summarium esse (cfr. vv. 1—13: omnes poetæ recitant, et v. 14: summus minimusque recitat). Deinde si verba quæ sunt minimo poeta exterminentur, negat intellegi posse, cur Iuvenalis consilium scribendi ceperit. Quorsum hæc?

Sed ut eo revertamur, unde defluxit oratio, Iuvenalis postquam se quoque versus scripturum esse indicavit, causas explicat, cur formam satirarum potissimum elegerit. Quæ causæ nobilissimis illis versibus 22—80 adferuntur, qui mirabili sane arte compositi, nullis obstaculis impediti usque rapidiore cursu profluunt, donec in illa verba erumpunt:

> si natura negat, facit indignatio versum,
> qualemcumque potest.

Sed quod vulgo aiunt, nihil tam alte constitutum esse, ut non possit reprehendi, erunt fortasse, quibus hi

---

[1]) *Rupertius* (Comm. in Iuv. p. 11) comparat Hor. Epist. II. 1. 117:

> scribimus indocti doctique poemata passim

Sed non quæritur, vere an falso hæc dici possint: quæritur quid tenori versuum aptum sit, quid non. Verba illa Horatii loco allato desiderari non posse, quivis facile intellegit.

versus non ex omni parte satis apti esse videantur. Quod vereor ne de vv. 42—44 maxime valeat. Neque omnino negari poterit quin, cum primum eos legamus, cur tali modo ceteris immixti sint, miremur. Sed cavendum est, ne nimio studio vitia inveniendi ducti subito in solidum incidamus. Mos est Iuvenalis sæpenumero in media oratione, etiam ubi vehementissima est, consistere, ut qua est indignatione incensus hostem fictum interrogationibus importunisve exclamationibus perstringat [1]). Sed tantum abest ut eiusmodi exclamationes, quamvis orationem interrumpere videantur, ei noceant, ut non modo eas defendi verum etiam propter magnam quam habeant vim laudari oporteat.

Post v. 80 ad eam satiræ partem venimus, quam alteram esse vult Hermannus, qua se defendat poeta: materiam vitiorum abundantem. Re vera hæc nihil aliud continet nisi enumerationem continuatam eorum vitiorum, quæ Iuvenalem ad satiras componendas impulerunt. Iterum in tantum illum numerum interrogationum incidimus

---

[1]) Aliud exemplum est vv. 73—76. Omnes editores præter Ribbeckium in eo consentiunt, quod hos versus post v. 72 ponunt. R. autem ordinem ita mutat, ut iam post v. 68 legantur. *Quid enim opus est,* inquit, *eos tanto spatio secernere ab iis, quibuscum facillime coniungi posse videntur?* Num soli signatores falsarum tabularum, non veneficæ, in insulas maris Ionii mitti solebant? Hæc emendatio eius generis est, quod a R. in primis adhibetur, nam ut sententia melior fiat ordinem versuum ad libitum mutat. Quod tamen non semper licet; tum enim graviores etiam causæ accedant necesse est. Neque enim Iuvenalis omnibus vitiis caret, ex quo efficitur, ut non propter solam versuum elegantiam ordinem constitutum permutare liceat.

atque in tot signa corruptæ civitatis, quæ tamen hoc dissimilia eorum sunt, quæ in priore parte vidimus, quod ad certum aliquod genus vitiorum magis pertinent. Ergo hic maxime agi de clientibus eorumque misera condicione, iam supra observavimus. Primum igitur de Troiugenis ipsis sermo est (vv. 95—116), deinde de pauperibus, qui vitæ sustentandæ causa sportulam accipiunt (vv. 117—146). Ad hoc pauca adnotamus.

V. 132 sermo de clientibus iterum oritur, quos v. 126 relinquebamus. Et profecto si de iisdem clientibus utroque loco poeta loqueretur, vv. 127—131 intolerabiles essent, quippe qui ne minimam quidem causam haberent, cur tam inepte inter ceteros immiscerentur. Ordinem vero versuum in omnibus editionibus servatum cum aliæ causæ tuentur tum maxime, quod ii clientes, qui v. 132 mominantur, nil negotii cum iis habent, qui v. 120 ad sportulam accipiendam accurrunt. Illi enim iam mane dominum salutaverunt atque domo in forum deduxerunt, tum e foro regressi in vestibulo domini stantes exspectant, num vocationem ad cenam audituri sint, sed frustra. Hoc quo manifestius appareat addamus, quod tempore cenæ in vestibulo sunt; ceteri enim (v. 120) mane sideribus dubiis salutandi causa domos reliquerunt. Hoc nisi observetur verendum est, ne nos plus æquo ea transitio offendat, quam v. 132 ad clientes poeta iterum facit.

Altera est transitio v. 137, quæ multis de causis Ribbeckio minus apta videtur. Primum enim vox patrimoniorum ei displicet. Uno tantum loco (VII. 113) hanc vocem a Iuvenale usurpari docet: ceteris (X. 13,

XII. 50, XIV. 116, 229,) ab interpolatore esse insertam, *qui cum ipse patrimonia non possideret, de iis saltem cogitare loquique gauderet,* secundum vetus illud nostrum, ex abundantia cordis os loqui. Quod argumentum quamquam novitate non caret, tamen haud scio an probet recte dici, non omnia bona esse ideo quod nova.

Neque de varietate numeri (iacebit — comedunt) est, quod hos versus damnemus. [1])

Porro cum negat Ribbeckius sibi placere particulam *nam,* quod ambæ res, quæ coniungantur, cognatæ sint, atque ab hanc causam *ergo* vel *igitur* se præferre contendit; ei assentiri non possumus. Multa enim sunt exempla apud Iuvenalem, ubi particulam nam eodem modo quo hic usurpari videmus, ut v. 61 (Automedon — nam lora tenebat ipse), II. 167 (fiunt homines — nam si), III. 122 (solus habet — nam cum). Alterum alterum sane declarat. Fiunt homines (molles) — nam amatores habebunt. Automedon appellari poterat — nam lora ipse tenebat. Iacebunt soli (in) toris — nam una mensa (sine convivis) tota patrimonia comedunt. Causam igitur non videmus, cur hos versus exterminemus.

---

[1]) De qua varietate copiosius disputavit *L. Kiœrius* in ea commentatione, quam scripsit *De sermone Iuvenalis* (Hauniæ 1875). Docet ille (p. 194), *Iuvenalem uno certi cuiusdam hominum generis exemplo prolato, omnes ad idem genus pertinentes ita complecti, ut vitium omnium commune vel aliquid, quod de omnibus dici possit, adiungat, aut toto genere commemorato exemplum sumere, quod uberius depingat.* Exempla sunt III. 112: aviam resupinat — scire volunt (homines eiusmodi); 298: clamat — feriunt; VI. 363: non sentit — non reputant; 651: illa quæ computat — spectant; al.

Postremi 25 versus nihil habent, quo offendamur. Ad vim orationis augendam poeta forma dialogi utitur atque iram in probrosos homines sententiis brevibus effundit. Ex quo fit ut transitiones et crebræ sint et subitæ, sed cum leges orationis sequantur non opus est singulas perscrutari. De extremis duobus versibus et de magna et inopinata eorum mansuetudine supra locuti sumus.

Nos vero totam hanc satiram perlegentes facile adducimur, ut multas eius partes a Iuvenale diversis temporibus scriptas esse credamus, postea in unum coniunctas, ut quasi præfatio totius operis essent. Qua de re tamen præter coniecturas nihil certi adferre licet. Sed copiam illam verborum, qua in clientibus commemorandis utitur, vestigia satiræ cuiusdam continere, quæ miseras clientium condiciones universa adumbratura esset, non negaverim. Maiorem enim locum hæc vestigia obtinent, quam ut a poeta temere inserta esse credamus. Cum autem in prima satira de variis rebus sermo oreretur, poeta non dubitabat ea quoque adhibere, quæ iam diu parata habebat, licet hæc a principio seposuisset, ut ad alium usum servarentur. Sic sine dubio cur prima Iuvenalis satira argumentum tam varium habeat facillime explicamus.

Satira II.

Non amplius ut in priore de variis rebus poeta loquitur, sed hæc satira ad certum quoddam argumentum redacta est. Proposuit sibi Iuvenalis, ut mores virorum corruptos depingeret. Id vero quanta arte fecerit unusquisque fere versus satis testatur. Satira II non multa habet, quæ explicationem desiderent. Ad singula mox veniemus; anteà de universa materiæ dispositione dicendum est.

In quattuor partes hanc satiram dividamus necesse est. In prima poeta nobis ante oculos ponit obscenos istos viros, quibus nullus vicus illis temporibus non abundabat, eosque frustra conari vitia sua dissimulare ostendit. Postquam mores eorum satis manifesto in lucem protraxit, in parte secunda Laroniam impetus in eorum catervam facientem inducit. Ad verba Laroniæ cum nihil respondere audeant viri lacessiti, ipse in parte tertia ostendere pergit, quam iuste hi vituperentur exemplaque graviorum etiam scelerum addit. His tantis vitiis nudatis damnatisque in quarta denique parte poeta apte sese convertit ad manes eorum, quibus contigerat, ut ætate feliciore in terris viverent, et cum magno dolore addit, omnino fieri

non posse, ut æquales post mortem ad umbras maiorum descendere audeant.

Videmus satiram insigne documentum esse disciplinæ rhetoricæ, neque sermo eius his verbis repugnat.

Quodsi in satira II tantummodo virorum vitia perstringi dicimus non omnia dicimus. Sunt enim vestigia admodum manifesta, ex quibus appareat Iuvènalem, cum hanc satiram scriberet, etiam mulierum meminisse. Laronia iram in viros nefarios effundit et recte illa quidem, quoniam vitia non fingit, vera monstrat; sed verba eius irata paulo diligentius attendamus. Post querimonias suas de magna inter molles concordia hoc modo pergit:

non erit ullum
exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Vedia non lambit Cluviam nec Flora Catullam.

Præter vetus illud, feminam libidinosam vitiis longe antecellere etiam pessimis viris, animadvertere possumus, Iuvenalem ipsum in hac re non prorsus idem atque Laroniam facere iudicium, quamvis ei assentiri videatur.

Nam licet *Vedia non* cet., licet eximia sit Vediæ Floræque pudicitia, tamen accidit — nescio quo iniquo Laroniæ casu — ut Iuvenalis etiam eam satiram scriberet, quæ sexta nunc in editionibus legitur. Cuius satiræ v. 311 miras sane res de duabus sororibus Laroniæ, Tullia et Maura, narrat nec multo pulchriores infra (v. 320) de aliis duabus, Saufeia et Medullina, ut sileam de iis veræ innocentiæ exemplis, quæ v. 334 commemorantur.

Laronia pergit ad novas victorias reportandas:

numquid nos agimus causas, civilia iura
novimus, aut ullo strepitu fora vestra movemus?
luctantur paucæ, comedunt colyphia paucæ

Itaque ne hæc quidem, quæ tamen minus gravia sunt, mulieres committunt, si Laroniæ credere fas est. Cum autem eorum causa, quæ modo attulimus, fidem eius paululum minui intellexerimus, ad Iuvenalem iterum confugimus. Re vera apud eum, quod suspicabamur, iudicium longe contrarium invenimus:

componunt ipsæ per se formantque libellos
principium atque locos Celso dictare paratæ (VI. 244).

Atque infra (v. 398):

sed cantet potius, quam totam pervolet urbem
audax et cœtus possit quæ ferre virorum.

Adde (v. 246):

endromidas Tyrias et femineum ceroma
quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali?

Ut videmus, Iuvenalis ad singulos versus Laroniæ respondere non oblitus est. Quam ob rem cum Laroniam sexum femineum defendentem in scænam induceret, non modo viros nota ignominiæ afficere volebat sed etiam vilitatem mulierum strictim per ironiam attingere. Hinc illi versus (47 sqq.) falsam speciem veritatis adferentes; hinc denique præstantissima illa verba, quibus Laroniam querimonias suas finientem facit:

de nobis post hæc tristis sententia fertur;
dat veniam corvis, vexat censura columbas.

His de universa satira allatis transimus ad partes, ex quibus constat, singulas. Quarum ea, quam primam diximus, non multa habet digna mentione.

Cum poeta eos commemorat, *qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt,* tres notas dat, quibus cognosci possint, inscientiam, frontem falsam, sermonem rarum; deinde Peribomius et qui sunt eius generis opponuntur. Transimus verba Laroniæ, de quibus quid censeremus iam supra diximus. [1])

Difficiliores versus sunt 64—148. Confirmat poeta verba Laroniæ atque ipse tres notas novas addit. Quarum prima (vv. 65—81) eos significat, qui multicia sumant. Quod vitium quamvis horrendum sit, tamen ab iis superari dicit, qui orgia Bonæ Deæ celebrent (vv. 82—116). Post narrationem eiusmodi festi fastigium summum vilitati virorum impositum esse crederes, sed poeta scelus tertium addit, maximum sine dubio et flagitiosissimum: virorum cum viris nuptias (vv. 117—142). Longius iri non posse, quis non videt? Attamen in editionibus post v. 142 aliquot versus leguntur, quibus pugna Gracchi in arena commemoratur: tenues illi nec umquam a poeta hoc loco inserti. Postquam vero a Ribbeckio (l.

[1]) Addamus tamen aliquid ad v. 43. *Heinrichius* (Commentar zu Iuvenals Satiren, Bonn 1839 p. 96) subitam et improvisam transitionem hic a Laronia factam esse dicit, sed quæ ira eius excusetur. Mira sane; neque enim hæc transitio improvisa est post v. 37 et cum ironia quadam vv. 41—42 apte inseruntur. Huc accedit, quod Laronia minime omnium ira commota dicit. Cfr v. 38: atque ita subridens. Melius Rupertius (Comm. p. 74): L. non dixit irata l. indignabunda, sed cavillans et ludibrio eum habens. Quæcumque enim respondet εἰρωνικῶς dixit.

l. p. 104) argumentis gravissimis exterminati sunt, non opus est plura addere. Quidquid enim dicemus, quomodocumque eos defendere conabimur, non nobis continget, ut hoc loco Ribbeckium refellamus.

Tria igitur vitia sunt, quæ a Iuvenale (vv. 64—142) proferuntur. Ad primum eorum describendum viam sibi munit poeta subita transitione, quam (v. 65) post illa verba *quid enim falsi Laronia* invenimus. Sententia est: quamvis vera, Laronia tamen leviora attulit — sed nunc de gravioribus agendum. Sed sic quoque dura videtur.

Post v. 71 sermonem interrumpit, ut more suo exclamationi locum det. Simillima huius exclamationis ea est, quæ legitur VI. 531:

en animam et mentem, cum qua di nocte loquantur.

Cfr infra II. 102—103.

In versibus 82—116 disponendis si ordinem nobis traditum sequemur, et optime inter se cohærere eos videbimus et transitionem post v. 116 aptissimam fieri ad ea quæ sequuntur. Ribbeckius alium ordinem proposuit nec inversione contentus quattuor versus reiecit. Sed cum hoc facit, universam argumenti dispositionem lædere videtur. Nam Iuvenalis, qui sibi proposuit orgia Gallorum depingere, tres notas huic generi hominum attribuit. Primum enim de habitu eorum loquitur, deinde de sacrificiis, tum de more mulieres excludendi. Itaque satis multa attulit, quibus comparationem Gallorum cum Baptis Cotyttus defenderet, atque suo iure ad singula persequenda transire potest. Displicet Ribbeckio (l. l. p. 138) hæc comparatio, quasi hoc loco immatura: *pleniorem sci-*

licet imaginem faciendam esse, antequam ii versus, qui sunt de Baptis Atheniensibus, addi possint.

Talem vero dispositionem, qualem hic habemus, apud Iuvenalem non insolitam esse, ex gr. sat. VI. vv. 324 sqq. docent, ubi post aliquot versus poeta omnes ita comprehendit:

nil ibi per ludum simulabitur cet.,

sed nihilominus ad imaginem uberiorem efficiendam transit inde a v. 327 sqq.

Præterea cur Ribbeckius iam post v. 95 (suæ editionis) illa verba *talia secreta* cet. collocat? Cur non potius post v. 112, ubi imago plenissima est?

Post tres illas notas Gallorum Iuvenalis ergo vv. 91—92 de Baptis addere poterat. Deinde singula exponit, quæ ad orgia virorum in clariore luce collocanda valeant, atque hæc quoque sunt tripartita (ille supercilium producit — ille priapo bibit — ille speculum tenet). Hinc potestatem sibi sumit in Othonem invehendi (vv. 102—109), tum ad propositum revertitur et finit descriptionem rursus tribus notis additis (hic nullus pudor — hic turpis libertas — (hic) senex fanaticus antistes). Addendo denique interrogationem, quæ vv. 115—116 est, apte transit ad tertium genus vitiorum, nuptias virorum cum viris. Quin isti nefarii, inquit, prorsus desinunt esse viri, quoniam festa mulierum in honorem Bonæ Deæ libentissime imitantur? Nam re vera eos usque eo audaciæ procedere videmus, ut tamquam feminæ nubant. [1])

[1]) Non satis causæ adferre videtur Ribbeckius, cur vv. 102—103 et 108—109 pro falsis habeantur. Quorum priores duo in-

Ii versus, qui sequuntur (117—142), inter optimos numerandi sunt. Nullum ibi verbum supervacaneum est, omnia inter se apte cohærent, si quidem animi irati poetæ meminerimus, quo sententiis brevibus iram effundere cogitur. Quam iram eo sæpe prodere solet poeta, quod aliquem loquentem subito inducit verbis utentem, quibus nulla ad importunitatem, de qua agitur, cavillandam magis idonea cogitari possunt. Cuius generis sunt vv. 132—135. [1])

In postremis huius satiræ versibus duabus rebus offendimur. Primum enim quæritur, quomodo v. 159 legendus sit. Hoc diiudicare non poterimus, nisi coniunctionem sententiarum prius cognoverimus. Iam primum omnium manifestum est, verbis, quæ sunt heu miseri traducimur, ea opponi, quæ sequuntur: arma quidem ultra cet. Nam si cum quibusdam editoribus verba heu traducimur cum iis, quæ antecedunt, coniungimus, omnino non video, quomodo transitio ad ea, quæ sequuntur, defendatur. Hoc enim poeta dicit: heu traducimur (i. e. nobismet ipsi ludibrio sumus): foris enim potentissimi

---

dignationis pleni invidiam poetæ vehementer pingunt. Neque posteriores duo damnandi sunt, quod nihil nisi doctrinam copiosam interpolatoris ostendant. Innumerabiles fere sunt ii versus apud Iuvenalem, quibus eiusmodi rerum cognitionem prodit, neque tamen ii versus a R. respuuntur. Num V. 115, 151—52, VI. 325 alios ob hanc causam reicit? Quid, si poeta II. 100 de Actoris Aurunci spolio loquitur, nonne R. hoc copiosæ doctrinæ documentum sine ulla dubitatione retinet?

[1]) Comparare licet I. 101 (da prætori, da deinde tribuno), III. 184 quid das, ut Cossum aliquando salutes), V. 135 da Trebio, pone ad Trebium).

esse videmur, domi pessimi sumus. Itaque legendum esse puto:

illic. Heu miseri traducimur cet.

Sunt, quibus placeat hæc lectio:

illuc, heu, miseri traducimur cet.

Sed qui ita legunt sententiam suam satis firmis argumentis tueri non possunt. Primum enim illic iis addi debet, quæ præcedunt, ut sciamus, ubinam illa sulpura cet. desiderentur; deinde, si hoc tantum dicitur, nos post mortem ad inferos transduci, male transitur ad posteriorem sententiam: arma quidem ultra. [1]) Quod ait Kiærius (l. l. p. 16) post spondeum primi versus pedis puncto incidi legem hexametri vix sinere, post dactylum incidi frequentissimum esse, non audemus cum eo de hac re disputare, sed sine dubio repugnare ea videntur, quæ XV. 122 leguntur:

audere? anne aliam, terra Memphitide sicca. [2])

Alter locus, de quo nobis dicendum est, invenitur v. 163; neque enim is ab editoribus recte explanatur. Quid sibi vult illud *tamen,* quod sequentem sententiam cum præcedenti coniungit? Mos est Iuvenalis, ubi verba *et tamen* adhibet, aliquid plane contrarium inducere, ut III. 208: et tamen (quamvis nil haberet) totum illud nihil perdidit; VII. 135: et tamen (quamvis causidicum pauperem red-

[1]) In cod. Montep. est *ill.c,* in omnibus deterioribus *illuc.*

[2]) Cfr Verg. Æn. IV. 543: quid tum? Sola. ib. 562: demens? ib. V. 195, VI. 590. Præterea ne Madvigius quidem post illic incidere dubitavit.

dat) est illis hoc utile; XIII. 204: et tamen (quamvis reddidisset) omnem vocem adyti veram probavit. Sic II. 163 Armenius Zalaces opponitur verbis, quæ sunt: sed quæ nunc — non faciunt illi, quos vicimus. Weidner (p. 64) difficultatem non explicat, cum dicit: et tamen Romani mirantur, cum Zalacem mollem vident. Quomodo hæc congruunt cum his verbis: hoc non faciunt illi, quos vicimus? Pro *tamen ergo* exspectares. Heinrichius nihil adfert. Rupertius unus recte statuere videtur. *Malim hunc locum,* inquit, διαλογικῶς *explicare, ita ut verba adversarii sint et tamen — tribuno, ad quæ poeta v. 166 respondeat.*

Satira III.

Totius satiræ dispositio hæc est. Romæ nemo sine molestia maxima vivere potest, qui honestus esse velit (vv. 1—57). Illic enim Græculi, homines importunissimi, regnant: ipsis indigenis nullus locus relinquitur, si pauperes sunt (vv. 58—125). Pauperes semper contemnuntur, quod non habeant, quo victum cultumque sibi comparare possint (vv. 126—189). Multa pericula incolis urbis imminent, quæ tamen a divitibus facile tolerari possunt, a pauperibus non item (vv. 190—231). Tantus est strepitus viarum, ut somnum nemo capere possit: tanta est turba hominum, ut ad metam propositam non sine labore maximo viam aperire possis (vv. 232—267). Alia pericula imminent, si vasa e fenestris decidant vel si media nocte pauperes grassatoribus ebriis obviam veniant aut latronibus (vv. 268—314). Epilogus brevis satiram finit (vv. 315—322).

In fere tota igitur satira de incommodis pauperum agi videmus. "At", dixerit aliquis, "his incommodis divites quoque adfici possunt, neque in hac satira pauperes divitibus opponuntur sed inhonestis hominibus honesti". Sed ubi poeta de incendiis, de stipata hominum turba, de ruinis ædificiorum ceterisque incommodis loquitur, fa-

cile est videre pauperes solos respici. Non enim negat hæc omnia etiam divitibus accidere posse, sed tum sortem eorum cum sorte pauperum non esse comparandam docet [1]). Neque minus poeta, ubi de Græculis molestis queritur, hæc omnia ad sortem pauperum refert. Quos Græculos non solos in urbe ait regnare, sed tantummodo ita se in familiaritatem divitum Romanorum insinuare, ut pauperes clientes excludantur. Quod eo melius apparet, si eas artes, quas profitentur, cognoscere volumus, quæ omnes fere sordidissimæ sunt.

In primis tamen quinquaginta versibus poeta homines honestos, sive pauperes sive divites sunt, opponit inhonestis. Neque enim intellegimus, cur in numero eorum, qui mentiri nesciant vel nigrum in candida vertere nolint, non divites quoque esse possint. Non semper Iuvenalis exempla tantum inhonestorum divitum profert, interdum etiam bonorum (ut in sat. IV. Pegasum et Acilium, in sat. VII. Lucanum et Quintilianum nominat). Hæc igitur incommoda urbis civibus divitibus æque ac pauperibus accidere dicuntur, dummodo honesti utrique sint. Sed divites hæc eadem incommoda melius ferre ostendit, quibus liceat tutis in hortis marmoreis iacere atque honestarum artium studiis miseram vitæ publicæ condicionem compensare; at pauperes, cum non modo ex invidia verum etiam ex penuria laborent, migrare cogi dicit.

Ad summam, hoc sibi in hac satira Iuvenalis proposuit, ut in priore parte miseram honestorum civium

[1]) Cfr ea quæ dicit de incendiis domorum divitum, de tutis eorum lecticis, de magna comitum multitudine.

condicionem ostenderet, sive pauperes sive divites essent; in reliqua et quidem maiore parte causas redderet, cur pauperes in urbe manere non possent, cum variis incommodis excruciarentur.

Ex iis versibus, quos in principio satiræ Iuvenalis scripsit, 6—9. iniquo aliquo casu potius quam arte aut consilio a poeta additi nobis videntur. Quid enim opus fuit post illa verba

ego vel Prochytam præpono Suburæ

quattuor versibus explicare, alteram solam et desertam, alteram fervidissimam partem Romæ esse, quæ res nemini ignotæ erant? Quis non videat, quanto melius futurum fuerit, si poeta, reiectis vv. 6—9, brevissimo illo versu 5 has contrarias res inter se comparasset, memor illius legis, quæ iubet facetias propria vi, nullis additis commentariis, animos eorum, qui audiant, commovere? Qui commentarii nihil aliud efficere solent nisi ut risum, quem edituri eramus, subito cohibeamus.

Deinde mirum est, quod dicit poeta v. 9

et Augusto recitantes mense poetas.

Quamquam enim de ceteris urbis incommodis infra copiose disputat, de recitationibus poetarum nullum verbum habet. Hi quattuor versus ut sunt sine causa iniecti nobis ea oculo rapido perstringere permittunt, quæ infra multo copiosius explicantur, sed quæritur iurene an inepte hoc sibi poeta permiserit. Nihil aliud id genus in satiris eius invenimus [1]).

[1]) Nam sat. X. ut v. 4 sqq. (quid enim ratione timemus cet.) satis manifesto ea significentur, quæ deinde sequuntur, at certe

Vv. 12 sqq. curas multas editoribus præbuerunt. Alii ordinem invertere malunt, alii lacunam constituere, utrumque supervacaneum videtur. Primum quidem mihi legenti hos versus, antequam emendationem Rupertii cognovissem, versum 12 ita mutare placuit, ut *hinc* pro *hic* legeretur, quod etiam nunc probo. Cum hoc verbo igitur coniungimus illud *descendimus*, quod est v. 17. In iis versibus, qui inter 12 et 17 leguntur, ea regio describitur, quæ est inter portam Capenam et vallem Egeriæ. In hac regione, ubi lucus et fons et templum Camenarum fuerunt, poeta iure an perperam incertum, colloquia Numæ cum Egeria olim habita esse fingit. V. 13 igitur pendet a 12 minimeque omnium scrupulum nobis inicere potest temporum mutatio (constituebat, locantur) cum et per se necessaria sit et pluribus exemplis defendatur [1]). Et profecto locum illum Iudæis repletum in luco Camenarum strictim attingere aptius est quam, puncto post supellex facto, sententiam primariam constituere. Adeo enim hæc res Romanis nota erat, ut non opus esset eam separatim perhibere, at contra poeta, dum ad ea festinat, quæ narraturus est, iisdem Iudæis quasi præteriens gravem ictum incutere potest. Hoc igitur

et cum ea sententia generali (pauci dinoscere possunt), quæ præcedit, et cum iis, quæ post leguntur, aptissime hæc verba cohærent. In hac igitur satira X. declamator ille, quem tot et tantis criminibus Ribbeckius obruit, sapientius egit quam scriptor satiræ tertiæ. Sed hæc attulimus non ut eos versus, de quibus nunc locuti sumus, quasi spurios a contextu segregaremus, sed cum ceteris editoribus eos silentio præterire vel probare ne videremur.

[1]) Qua de re v. quod copiose disputavit *Kiærius* (l. l. p. 201—09).

modo sententiam poetæ intellegimus: hinc (ex hac regione, ubi olim Numa constituebat, nunc vero lucus locatur) in vallem Egeriæ descendimus. Ribbeckius, qui verbum quod est hic retinet, sibi maxime probari dicit iterationem illam, hic ubi — hic tunc Umbricius. Mira sane verba; cur enim opus est tam graviter perhibere, Umbricium in valle Egeriæ, non statim extra Capenam, loqui coepisse (hic, hic, — non alibi)? Meo quidem iudicio nihil refert, *ubi* colloquium illud habitum sit: *hic* æque bene tempus ac locum respicere videtur: hic tunc Umbricius idem significare potest quod ,tunc U. dum progredimur, vel aliquid eiusmodi.

Qui sequuntur vv. 21—57 explicant, cur viris honestis intolerabile fuerit Romæ habitare. In quibus versibus magnam illam artem Iuvenalianam cognovimus, quam per omnes fere partes satirarum eius manare et fundi tam sæpe videmus. Sententia generalis (vv. 54—59) hanc partem finit, ut plerumque apud Iuvenalem fieri solet (I. 79—80, 109—116, II. 34—35, 63, III. 125, 228—31, 312—14, cet.)

Iam illuc venimus, ubi poeta de singulis urbis incommodis agit. Transitio oritur tribus his versibus 58—60

quæ nunc divitibus e. q. s.

Si satiram III. cum VII. comparaverimus, mirum quantum eas inter sese congruere videbimus. In utraque poeta a misera condicione eorum hominum incipit, qui illis temporibus in artibus honestis inter æquales eminere studebant, deinde ad singulos eorum dolores perhibendos transgreditur, in sat. III. per illos versus, quos supra attulimus

quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris cet.

in sat. VII. per horum simillimos (v. 36)

accipe nunc artes cet.

Tum in utraque satira enumeratio sequitur singulorum incommodorum et ita quidem, ut in iis depingendis poeta non parcat coloribus.

Iuvenalis cum vv. 58—125 de Græculis invisis loquitur, odio et ira adeo commovetur, ut orationem quasi uno tenore continuare non possit. In hac igitur parte satiræ tertiæ non minus quam in sat. I., crebras interrogationes exclamationesque invenimus, quas ad orationem ornandam magnopere valere plus semel supra ostendimus. His orationis figuris poeta inprimis utitur, cum in vitia æqualium invectus est, quibus pristina illa Romana virtus et simplicitas opponuntur, quas tunc revocari non posse, melius quam ceteri illorum temporum scriptores sensit. Itaque sese v. 67 ad Quirinum convertit, vv. 84—85 magno cum dolore cæli Aventini et frugalitatis mensæ meminit. (Cfr II. 72—74, 126—28, 153—55 al.)

Sunt in hac parte satiræ, de qua nunc quæstio est, quæ editoribus dura atque ideo excludenda videantur. Inter quæ v. 104 occurrit:

non sumus ergo pares: melior qui semper et omni

Ribbeckius (l. l. p. 119) spurium versum arbitratur, quod sine causa ceteris versibus immixtus orationi continuæ gravissime lædat. Quod in omnibus codicibus hic versus legitur, omitto; neque enim hoc per se satis est ad versum quemlibet defendendum. Hoc igitur loco videndum

est nobis, talis transitio, qualis hæc est, aliis exemplis Iuvenalianis vindicetur, necne, quod negare R. videtur [1]). Ad sextam satiram nos conferamus. Ibi legimus v. 224

imperat ergo viro, sed mox hæc regna relinquit.

Quis non videat, quantum hic locus cum illo congruat? Utroque particula, quæ est ergo, conclusionem facit, qua ea, quæ antecesserunt vera esse comprobantur, tantaque est horum exemplorum similitudo, ut si alterum probetur, alterum quoque probetur necesse sit. Sed R. damnat v. 104, probat VI. 224; quod altero loco vitium esse contendit, altero vitium esse negat. Nam quod in sat. VI. ordinem versuum ita mutat, ut 224 post 433 collocet, non refert, immo contra hæc res argumento nostro suffragatur. Nam præter illud exemplum impotentiæ muliebris, quod in ceteris editionibus est v. 223

hoc volo, sic iubeo cet.

alterum R. inicit (v. 419)

conchas et castra moveri
nocte iubet,

antequam ad illum versum venit qui est: imperat ergo viro. Nemo igitur negare poterit, quin hoc loco sat. VI. per particulam *ergo* in unum ea comprehendantur, quæ prioribus versibus de superbia mulierum dicta sunt. Nihilominus hac conclusione poeta finem orationi non imponit, sed statim pergit ad plura adferenda

[1]) *Hermanni* (l. l. p. XXII) verba hæc sunt: v. 104 spurium iudicat Iahnius poteratque salvo sensu abesse: indignum tamen Iuvenale non habuerim.

sed mox hæc regna relinquit
permutatque domos cet.

Iam si ad sat. III redibimus, idem occurret. Particula *ergo* adhibetur de iis exemplis artium Græculorum, quæ poeta supra attulit, tamen transit ad alia commemoranda:

melior qui semper et omni
nocte dieque potest cet.

Quid? si sat. V. 97 alterum huius simile exemplum etiam in editione Ribbeckii habemus

instruit ergo focum provincia,

si sat. VI. 532 legimus

ergo hic præcipuum summumque cet.,

nonne sat. III. 104 a consuetudine Iuvenalis non discrepare iure statuere videmur?

Sequitur, ut de v. 113 pauca loquamur. Eius generis sententiæ explicativæ, quas vocant, frequentes admodum sunt apud Iuvenalem; perpetuitati orationis officere nullo modo dici possunt. Sed v. 113 retinendus sit necne, e priore v. 112 pendet. Nam ibi si *aviam* legimus, v. 113 prorsus supervacaneus est, cum neque explicet, cur avia violetur, atque per se molestus sit. Neque enim Græculi matrem familias, filiam, filium ob eam causam pellicere conantur, ut secreta domus comperiant, sed propter libidinem solam, quod e versu 109 satis intellegitur. Cum vero nonnulli pro *aviam* legissent *aulam,* v. 113 additus est, ut explicaret, quid sibi vellet illud aulam resupinare. At ea lectione accepta quantopere flaccescat oratio, quis non videt? An hæc ger-

mana gradatio est, primum virtutem temptare matronæ, deinde filiæ, tum sponsi, porro filii pudici, postremo vicinam domum intrare ad eius secreta cognoscenda? Quo nihil perversius est. Sed fit haud raro, ut qui aliquando sententiam pro certa comprobaverint ægre adducantur, ut ab ea desistant, licet non sit aptissima.

> et quoniam cœpit Græcorum mentio, transi
> gymnasia atque audi facinus maioris abollæ.

Suntne Iuvenalis hæc verba (vv. 114—15) an interpolatoris? Difficilis quæstio, tamen ego Iuvenalis esse contenderim. In iis, qui antecedunt, versibus non gymnasia nominavit, sed tamen ea strictim attigit (v. 68 niceteria, 103 endromis; etiam vv. 88—89 palæstram redolent). Iure igitur hæc gymnasia poeta relinquere potest et ad maiora facinora transgredi. Sed ipsa transitio nihilominus mira est

> et quoniam cœpit,

non enim cœpit sed pæne finita mentio est. [1])

Atque quoniam poeta in duobus extremis versibus (124—125) verbis manifestis de clientela locutus est, ad incommoda clientium pauperum iam v. 126 facile transit. Neque tamen diu ibi moratur, sed postquam his incommodis quasi transitione usus est, statim pergit ad pau-

---

[1]) *Ribbeckius* lacunam esse dicit ante vocem, quæ est transi, sed in codd. v. 114 talis legitur, qualis in ceteris editionibus est. Incertum est, an plura de Græculis additurus fuerit poeta, nisi sermo in clientes illos pauperes incidisset, de quibus eum libentissime disserere constat.

perum miseram condicionem, præter clientelam, nobis ante oculos ponendam. In quibus versibus, qui iam inde a 126 usque ad 190 continuantur, nihil difficile invenitur, aut quod ab editoribus dissimili modo explicetur, præter verba illa, quæ v. 132 leguntur

alter enim, quantum in legione cet.

Ad v. 131 Heinrichius (l. l. p. 145) adnotat, tenorem orationis quasi abrumpi, et recte ille quidem, nam nova imago a poeta inducitur, nec tamen ea multum dissimilis, cum ad clientem pauperem utraque pertineat. Sed nunc de v. 132. Non defuerunt, qui omnes nervos contenderent, ut hoc loco transitionem novam et inauditam deprehenderent. Sed quale præmium laboris acceperunt aut quid omnino profecerunt, si iis contigit, ut sententiam simplicem et aptissimam in peiorem mutarent? Quorum error in eo potissimum cernitur, quod verba, quæ sunt *hic* et *alter,* inter se opponunt, tamquam si contrarii homines significentur. Tum vero significationem insolitam particulæ *enim* dare coguntur, atque omnino ea, quæ dixit poeta, adeo confundunt, ut sine remediis acerbissimis sententia restitui non possit.

Weidner et Hermannus sunt, qui hoc loco plura latere suspicantur, quam quæ Iuvenalis ipse dicere voluit. Quid enim opus est cum iis statuere, novam per verbum, quod est alter, personam in scænam induci? Num orationem Iuvenalianam sapit, si vertamur: filius ingenuorum comes est divitis libertini — nam de eo sileam, qui pecuniam magnam donet amicæ? Tolle novam illam per-

sonam: omnem profecto difficultatem sustuleris. Versibus 131—36 hoc solum poeta dicit, libertinum, modo dives sit, a filio paupere ingenuorum coli ob eam causam, quod ille satis ampla bona habeat, quibus amorem divitum matronarum retinere possit, hic contra ne sordidam quidem amicam visere audeat. Verbum, quod est *hic* (v. 131), adverbium est (cfr v. 127); *alter* (v. 132) respicit divitem illum libertinum; *enim* causam adfert, cur is a filio ingenuorum colatur. *Tu,* quod v. 134 legitur, hunc filium significat, qui vix audet sella deducere Chionen vestitam. Sic sine dubio melius hunc locum interpretamur, quam si ad ceterorum artificia confugiamus.

Iuvenalem postquam rem propositam ex una parte satis diu collustraverit ad alteram partem considerandam sæpe ita transire, ut iunctura necessaria omitti videatur, iam sæpe admonuimus. Sed tantum abest, ut hoc ei vitio tribui possit, ut contra aptissimam et ad ea, quæ sentiat poeta, exprimenda maxime idoneam esse eiusmodi subitam transitionem, concedere facile cogamur. Exemplis nobis sunt vv. 190 sqq., in quibus sermo in pericula urbis incidit, dum hoc minime præsagimus. Talem transitionem, qualis hæc est, in consuetudine poetæ sitam esse, cum alia exempla docent, tum maxime ea, quæ sat. VII. 150 leguntur

declamare doces? o ferrea pectora Vetti

et paulo infra (v. 215)

quis gremio Celadi doctique Palæmonis adfert.

Paucis versibus post poeta, ut ad incendia veniat, v. 197 inicit

> vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
> nocte metus

ubi tantum adnotamus, non licere cum Heinrichio (l. l. p. 154) statuere per hunc versum transitionem fieri ad omnes ceteros huius satiræ. Etenim de furibus quæstio non est nisi v. 302, qui versus ex alia transitione pendet, quæ est v. 268

> respice nunc alia ac diversa pericula noctis

et propius etiam v. 302

> nec tamen hæc tantum metuas.

Ad v. 200 (tu nescis — nam si) Weidner (l. l. p. 83) usum particulæ nam adnotat, quasi aliquid novi a poeta addatur. Neque tamen intellegimus, cur non potius dicat, particulam tantummodo vim explicativam habere: tu nescis periculum, nam si in ima parte domus incendium oritur, tu ultimus ardebis. Alterum huius simile exemplum v. 132 habuimus (alter enim), ubi sententiam simplicem explanare conati sumus.

Antequam hanc sat. III. partem, ubi de incendiis agitur, relinquimus, quænam sit nostra de v. 218 sententia, breviter exponemus, nam multæ et variæ occurrunt. Vulgo legitur

> hæc Asianorum vetera ornamenta deorum.

Tum vero quæritur, num hoc in sermonem Iuvenalis quadret. Quinque sunt versus, quorum in quattuor, qui omnes

a voce, quæ est hic, incipiunt, de viris sermo est. In quinto autem de femina agi ii contendunt, qui lectionem hæc Asianorum cet. defendunt. Sed eiusmodi confusio pronominum et ipsa molesta est et haud scio an nullum alterum huius simile exemplum apud poetam inveniatur. Quare si *hæc* in *hic* correxerimus, sine dubio bene emendabimus; melius autem, si aliam lectionem, quæ in multis codd. est (ut in man. sec. P, omnibus Paris.) receperimus. Est illa

phæcasianorum vetera ornamenta deorum

quod verbum aptum videtur ad deos Græcorum significandos. In principio sat. II. poeta de signis philosophorum Græcorum loquitur: hoc loco, de quo nunc agitur, signa deorum a maximis artificibus elaborata commemorantur. Sed restat, ut videamus, sitne alterum exemplum apud Iuvenalem, ubi in figura, quæ anaphora vocatur, media in repetitione versum inveniamus, qui fortasse salvo sensu omitti potuisset. Est VII. 190 sqq.

felix et pulcher et acer,
felix et sapiens et nobilis et generosus,
appositam nigræ lunam subtexit alutæ,
felix orator quoque maximus et iaculator.

Qui versus quam similes eorum facti sint, qui III. 216 sqq. leguntur, primo aspectu quivis facile intellegit.

Post incendia, strepitus viarum. Miror tamen poetam, postquam causam solitam morbi attulerit (cibum imperfectum et hærentem ardenti stomacho), statim hanc veram esse negare et aliam adferre (rædarum transitum

et convicia mandræ), quod caput morbi appellet. Sed hæc leviora, gravioris momenti quæstio est, liceatne retinere v. 242

namque facit somnum clausa lectica fenestra.

A multis damnatur, ab aliis, ut a Ribbeckio, retinetur. Neque ipse ullam causam inveni, cur hunc versum respuerem. Nam quod aiunt languidum esse et inertem, vix opus est hoc refellere. Iam Weidner observavit, somnum quietum divitis in lectica clausa opponi insomniis pauperis hominis ægri in meritoriis. Neque abhorret a consuetudine Iuvenaliana eius generis versum explicativum addere ad finem aptum inveniendum. In sat. VIII. e. gr., ubi poeta notum illud, Decios se diis immortalibus pro re publica, pro totis legionibus, pro omnibus auxiliis devovisse, commemoravit, versum addit (258) eodem modo usurpatum quo III. 242

pluris enim Decii, quam quæ servantur ab illis.

Reliquam satiræ partem cum legimus, facere non possumus, quin magnam artem Iuvenalis admiremur, quam præterea in hac satira maxime elucere constat. Pericula diurna postquam tam vivis coloribus pinxit, ut ipsi interesse videamur nec prius interclusum pæne spiritum recipiamus, quam salvos nos evasisse nobis persuaserimus, transgreditur ad diversa pericula noctis non minore arte exponenda. Incipit a minoribus [1]) et paulatim transit ad

[1]) V. 281 tamen delendum esse censeo. Non placet verbum, quod est quibusdam; multoque minus placet inepta illa interrogatio: ergo non aliter poterit dormire? Supervacanea est post

maiora: post rixam et livorem spoliator occurrit, post eum percussor. Quomodo longius iret poeta? Itaque cum epilogum his verbis incipit (v. 315)

his alias poteram et plures subnectere causas

non sine iure suspicamur, eum a nobis discedere lepide quidem et eleganter sed, sit venia verbo, parum sincere.

ea, quæ v. 278 leguntur: qui nullum forte cecidit, quæ verba satis manifesto significant, ubi remedium insomniarum quærendum sit.

Satira IV.

Timeo ne inconsiderate agere videar, si post firmissimum illud Ribbeckii de satira quarta iudicium aliud proponere audeam, attamen hoc facere non dubitaverim. Atque eo maiore fiducia ad hanc rem aggredior, quod ira, qua in ineptias interpolatoris instigatur Ribbeckius, immoderatior potius dicenda est quam reapse gravior. Neque tamen dubium est, quin sint, quibus recte disputare videatur; ego vero non possum non arbitrari, argumenta eius ad adversarios convincendos non satis valida esse. Primos 36 versus huius satiræ omnino damnat R. ob multas causas. Longum est omnia persequi: unum alterumve in quæstionem vocasse satis erit.

Prima quæstio est, cum iudicium de satira quarta facere volumus, possitne defendi integritas totius satiræ, an primi 36 versus cum iis, qui sequuntur, tam male cohæreant, ut omnino exterminandi sint. Fuerunt, qui tanto studio hæc aggrederentur, ut non modo non cohærentia inter se dicerent, sed maxime disiuncta et contraria, inter quos Ribbeckium insignem locum tenere videmus; alii contra asseverant, fere nusquam artem poetæ clarius illucescere quam in harum partium coniunctione;

quorum ne utrique terminos transeant vehementer timeo. Sed quoquo modo se res habet, ad certam sententiam concipiendam necesse est primum videre, num sint interiores notæ, quibus integritatem defendere possimus, deinde formam transitionis qualis sit animadvertere.

Possuntne primi 36 versus una cum ceteris poema cohærens efficere? Videamus, quid in utraque parte agatur. In priore poeta in Crispinum, monstrum illud nulla virtute redemptum a vitiis, invehitur, cum alia vitia eius vituperans, tum maxime quod mullum sex sestertiis emisset. Neque tamen id se miraturum fuisse, si piscem seni orbo vel magnæ amicæ Crispinus dedisset, sed unius hominis mensam tam caro pisce ornari inauditum esse.

Postquam voracitas Crispini hoc modo commemorata est, poeta transit ad imperatorem Domitianum atque aulicos eius in scænam inducendos. Narratur fabella — vera an ficta nihil ad rem — in qua nequitia domini non minus quam serviles aulicorum animi iure ac merito vexantur. Nam cum rhombus insignis magnitudinis Cæsari aliquando donatus esset, nec satis ampla patina inveniri posset, poeta narrat, primores civitatis in consilium esse vocatos, ut de hac re gravissima deliberarent. In hoc consilio commemorando poeta potestatem habet singulorum aulicorum mores depingendi, qua tamen ita utitur, ut non diu apud singulos remaneat. Uni alterive unum tantummodo vel duos versus tribuit. Ipsius cenæ ne vestigium quidem est.

Quis nunc dicere audeat, iam a principio Iuvenalem totam hanc satiram composuisse, ut poema integrum esset?

Quis non potius videt in priore parte satiræ de longe alia re agi quam in posteriore, atque harum partium coniunctionem, etiamsi a plerisque editoribus facta sit, tamen non posse molestam non videri?

Non igitur nobis constamus, cum paulo supra sententiam Ribbeckii reiecerimus, nunc vero ei plane assentiri videamur? Immo quam maxime; non enim 36 illos versus spurios putare volumus aut contendere, non posse eos a Iuvenale aliquando scriptos esse, quod contra nobis vehementer persuasimus; sed hoc Ribbeckio assentimur, quod non apte cum ceteris coniunguntur.

Nemo est quin videat, fabellam illam de Domitiano atque aulicis eius per se satis perfectam esse neque omnino prologum, cuiuscumque generis sit, desiderare. Neque minus apertum est, poetam, si nihilominus prologum addere voluisset, multo aptiorem fuisse inventurum. Nam sæpius admonere non possumus, nullum aliud vinculum inter prologum et ipsam fabellam esse præter mullum Crispini. Solus hic mullus testatur, totam IV. satiram inde a v. 1 usque ad 154 a Iuvenale quasi uno tenore compositam esse: at muto teste quis moveatur?

Ex iis, qui ambarum partium coniunctionem studiosissime tuentur, Nægelsbachium nominamus, qui [1]) copiosius de hac re disputavit.

Is vero inauditum antea consilium cepit, quo sententiam suam confirmaret. In prima parte satiræ, inquit, unus ex aulicis, Crispinus, ceterorum turba segregatur,

---

[1]) Philol. III. 470 sqq.

non ut mores eius, quales sint, universe cognoscant ii, qui legunt, sed ut unum tantummodo vitium, gula eius in caro pisce emendo et vorando, separatim commemoretur. In altera parte poeta apte ostendit, quomodo imperator ipse cum eiusmodi scurris agat. Qualis erus, talis servus: alter alterum in clariore luce collocat. Crispinus ob eam causam separatim nominatur, quod is æque inconsiderate atque imperator in mullo insanivit. Ceteri aulici non tam bene cum Domitiano comparari possunt, nam nihil de mullis eorum constat.

Hæc est sententia Nægelsbachii, quæ quanta difficultate laboret, quivis intellegit. Primum enim non de gula sola Crispini in illis 36 versibus agitur, sed etiam de variis vitiis eius; deinde ea, quæ attulit N. de causa, cur Crispinus potissimum eligeretur, non multum valent. Dicit poetam ex aulicis unum temere protrahere, ut primum qualis hic sit ostendat, deinde qualis imperator ipse. Sed simul negat præter Crispinum ullum apte eligi posse, quod hic eodem modo quo Domitianus propter piscem famosus fuerit, ceteri non item. Quid hoc sibi vult? Poeta eligit, ubi optio omnino nulla esse potest. Quid denique opus fuit Crispinum præmittere, cum non commune cum ceteris aulicis illud haberet, propter quod maxime reprehenderetur? Ad summam, si Iuvenalis, antequam ad Domitianum ipsum transgrederetur, nequitiam aulicorum depingere voluisset, exemplum, quod in quemvis ex ministris Cæsaris quadraret, sumere debuit: ut nunc res est imaginem in prologo non habemus nisi Crispini solius.

Propter hæc rationem, qua N. sententiam suam defendit, comprobare non possumus et valde timemus, ne nobis non contingat ut, quomodo inter se cohæreant hæ duæ partes, satis manifesto explicemus.

Vidimus, qualis esset utraque pars huius satiræ; nunc quænam sit earum coniunctio animadvertamus. Qui integritatem totius satiræ defendunt vinculum esse volunt v. 28 sqq.

> quales tunc epulas ipsum glutisse putamus
> induperatorem, cum tot sestertia —
> — ructarit scurra Palati?

Et confitendum est sane præter hoc vinculum nullum inveniri. In priore igitur parte sermo est de pretiosissima cena Crispini, deinde poeta quærit, quales cenas Domitianus ipse gluttierit. Sumptuosiores nimirum. Atque invocatis Musis poeta statim transit ad hoc convivium sumptuosius commemorandum. At ubinam illud est? Ne vestigium quidem cernitur inde a v. 37 usque ad finem satiræ. Nam in his versibus sermo est de consilio procerum in villa Albana habito. At hoc consilium de pisce habitum est. Ita, non nego; sed neque hic piscis comeditur in convivio sumptuoso, neque, quod magis est, a Domitiano pretio insano emptus est, sed gratis ei donatus. Neminem fugit, poetam in priore parte satiræ de mullo Crispini loqui, ut de gravissima re, in altera vero de rhombo Domitiani ut de re vilissima minimeque omnium digna de qua deliberaretur.

Num hæc inter se tam discrepantia coniungi per illos versus possunt

quales tunc epulas cet.?

Iam si quærimus, unde origo huius de Crispino narratiunculæ repetenda sit, aliquid pro certo statuere difficile est. Neque tamen dubitaverim hæc vestigia dicere satiræ cuiusdam a Iuvenale in Crispinum olim incohatæ sed non perfectæ. Nam ita poeta in inimicum invehitur, tamquam si præsens hic sit, nec versus ille 9

cum quo nuper vittata iacebat

nos sinit cogitare de temporibus tranquillis Traiani, quibus multi hanc satiram scriptam esse contendunt. Huic nostræ sententiæ suffragari videtur, quod poeta, ubi de Domitiano in satira IV. loquitur, tempore præterito semper utitur; ubi autem sese in Crispinum convertit, præsens sæpe adhibet. Fabellam illam de consilio in villa Albana habito post mortem Domitiani scriptam esse, v. 153 satis dilucide ostendit.

Quodsi ambæ partes nimis laxe cohærere nobis videntur [1]), quam ut Iuvenalis eas unum poema efficere destinaverit, restat ut addamus, quomodo prior ex iis in contextum sit recepta.

Quis satiras Iuvenalis primus ediderit, poeta ipse an amicus aliquis, aut quando hoc factum sit, non facile diiudicari potest. Sunt qui duplicem recognitionem fac-

[1]) Simile iudicium *Weber*, *Hæckermannus* al. de integritate satiræ IV. fecisse videntur.

tam esse arbitrentur [1]) atque post mortem poetæ ex chartis eius unam alteramve iam divulgatis additam. Nihil impedit, quominus manus amici abruptam hance de Crispino satiram in lucem protraxerit et, cum eam amitti non pateretur, in eo loco collocaverit, ubi nunc invenitur. Quæ si ita sint, hic idem editor, quo artiore vinculo ambæ partes tenerentur, illos versus (28 sqq.) addere poterat:

quales tunc epulas ipsum glutisse putamus cet.,

quos a Iuvenale immissos esse nobis numquam persuaserimus.

Primos igitur septem et viginti versus a Iuvenale abiudicare nolumus. Hos quoque Ribbeckius damnat levissimis interdum causis ductus. [2])

Hæc de coniunctione prioris huius satiræ partis cum posteriore, quæ partes tot viros doctos ita ad disputandum

---

[1]) Cfr *Teuffelii* Stud. u. Char. 424—434.

[2]) V. 11 e. gr. ineptum vocat, quod non videat, quænam sint illa facta. Re vera non multa nominantur; quodsi fragmentum modo amplioris satiræ habemus, non mirum est, rem ita se habere. V. 13 negat ullam vim in nominibus inesse, quæ sunt Titio Seioque, cum solita exempla sint in scriptis iuris consultorum neque ad certos cives referantur. Nos vero in huiusmodi causis notissimos illos Paullum Petrumque adferre solemus: sic hoc loco Iuvenalis. Ad v. 17 adnotat proprium esse interpolatoris narratiunculis fabulisque antiquis diffidere. Sed Iuvenalis ipse de his fabulis sæpe iocatur, ut I. 81, II. 141, 150. Porro v. 20 Ribbeckio mirus videtur. Neque enim se intellegere ait, cur illa ratio ulterior sit. Nimirum

in cælum evehit optima summi
nunc via processus, vetulæ vesica beatæ. (I. 38).

elicuerunt, ut reconciliationis omnino spes nulla esset. Nos vero porro pergamus.

Quæ nunc sequitur posterior vel potius princeps pars satiræ in duas partes facile dividitur, quarum altera fabellam de piscatore continet, altera consilium describit, quod in villam Albanam Domitianus convocaverat. Illa (vv. 37—70) ab hac (vv. 72—149) distinguitur, ut apud Iuvenalem sæpenumero fit, sententia immissa, quæ apte cohæret cum iis quæ antecedunt. Est illa

nihil est, quod credere de se
non possit, cum laudatur, dis æqua potestas. [1])

Ad has duas partes accedit epilogus (vv. 150—54), in quo poeta de sceleribus imperatoris nonnulla verba addit.

Utraque pars non minus cum altera quam cum universo genere scribendi Iuvenalis hoc commune habet, quod enarratio, postquam aliquantulum progressa est, abrumpitur, ut aliquid quærat poeta vel cum indignatione exclamet.

Si igitur vv. 37—71 animadvertimus, primum vv. 46—56 a poeta insertos videmus ad inquisitores dispersos Cæsaris atque fiscum eius cavillandos, deinde vv. 70—71 additos ad hanc priorem partem aptius finiendam. Sive versus ipsos considerabimus sive quomodo cum ceteris coniungantur animadvertemus, nihil habebimus, quod mirum videatur aut a consuetudine Iuvenalis alienum. At

---

[1]) Eius generis sententias iam supra attulimus, e. gr. III. 54—57, 125, 230—31, al.

qui sequuntur vv. 72—154, eos non tam facile relinquere poterimus. Inducuntur ab illis verbis

sed deerat pisci patinæ mensura,

unde poeta potestatem sumit ad consilium ipsum transeundi. Primum igitur ex aulicis unum post alterum inducit, deinde consilium eorum commemorat, postremo misso consilio ad epilogum transit. In moribus singulorum describendis multa arte agit; nihil uberius simul et brevius cogitari potest quam ii versus, quibus Crispos, Catullos, cet. nobis ante oculos collocat. Sed sunt quæ ab editoribus ibi reprehendantur: quo iure statim videbimus.

Quod in hac quoque satiræ parte poeta crebris interrogationibus, sententiis, cet. utitur, non mirum est. Cuius rei exemplum iam v. 78 invenimus

anne aliud tunc præfecti?

Huic versui Ribbeckius irritum, ut opinamur, ictum infligere conatur. Tenuisne post versum antecedentem videatur necne, non facile iudices, cum de gustibus, ut aiunt, disputare non liceat, sed nobis hæc verba non aspernanda videntur. Eodem fere modo poeta II. 65 interrogat

quid enim falsi Laronia?

Infra (VII. 199) aliud huius simillimum exemplum sequetur:

anne aliud quam
sidus et occulti miranda potentia fati?

Adde XIII. 153

an dubitet solitus totum conflare Tonantem?

Et XV. 122

anne aliam, terra Memphitide sicca,
invidiam facerent nolenti surgere Nilo?

Quæ exempla si nos ad v. 78 retinendum non commovent, plura auxilia advocari possunt. Nam Ribbeckius dicit (l. l. p. 123), se v. 78 eo libentius damnare, quod tum vocabulum, quod est *quamquam,* cum verbo finito *putabat* coniungi possit, ad quod iure pertineat. Nam si verba, quæ sunt quorum optimus atque, retineantur, quamquam tantummodo ad ea, quæ sunt temporibus diris, pertinere dicit, quod contra usum huius vocis esse contendit. Nos vero asseveramus contra consuetudinem esse, si quamquam cum putabat coniungatur. Iuvenalis enim ubique cum coniunctivo iungit verbum, quod est quamquam. [1])

---

[1]) Exempla collegimus omnia, ubi quamquam cum verbo finito apud Iuvenalem legitur. Sunt hæc:

II.	4	quamquam	plena omnia invenias
VI.	88	„	dormisset
„	198	„	dicas mollius
VII.	15	„	Cappadoces faciant
X.	34	„	non essent prætexta
XI.	205	„	hora supersit
XII.	25	„	sint cetera
XIII.	172	„	spectentur
XV.	30	„	syrmata volvas

Accedit I. 33: quamquam longissima cenæ spes homini, ubi *sit* facile intellegitur.

Nusquam igitur hoc verbum apud Iuvenalem cum indicativo coniungitur. Ob hanc causam Ribbeckio assentiri nolumus.

Quodsi hoc loco quamquam non potest pertinere ad putabat, videamus, possitne cum *diris temporibus* coniungi, quod Ribbeckium contra usum esse adfirmat. Potest sane, licet plura ea exempla sint, ubi in eiusmodi collocatione *quamvis* adhibeatur. [1])

Hæc omnia exempla docent, primum apud Iuvenalem quamquam cum indicativo numquam iungi, deinde hoc idem vocabulum ad adiectiva usurpari posse. Ribbeckius dicit, necesse esse, si totum v. 78 retineamus, ad constructionem pravam confugiamus, quod post ea, quæ nunc ostendimus, durius dictum videtur.

---

[1]) Exempla, ubi apud Iuvenalem *quamvis* cum verbo finito iungitur, hæc sunt:

VI.	93	quamvis	mutandum esset
IX.	35	„	viderit
X.	206	„	palpetur
XIII.	3	„	vicerit

Cum adiectivis et participiis iungitur

I.	103	quamvis	natus
III.	1	„	confusus
„	282	„	improbus
IV.	104	„	ignobilis
V.	5	„	iurato
„	15	„	rarum
XIII.	13	„	minimam
„	207	„	longa
XVI.	56	„	tremulus

R. igitur recte contendere videtur, quamquam ad verba, quæ sunt diris temporibus, non tam bene adhiberi quam quamvis. Sed nondum omnia exempla attulimus. IV. 60 legitur: quamquam diruta. Nonne hoc exemplum eiusdem generis est, cuius hic locus (IV. 79), de quo nunc agitur. Restat unum exemplum (III. 61: quamvis quota portio) ubi *quamquam* exspectares, sed illic Iuvenalis non nimis severe egisse videtur.

Et quoniam Iuvenalem v. 78 sibi vindicare posse apparet, vilicum attonitæ urbis relinquimus, ut ad ceteros amicos Domitiani veniamus. Cum vero poeta singulos breviter describat atque transitiones legitimæ sint, non diu ibi manebimus.

V. 98 servamus, quamvis supervacaneus aliis videatur. Satis bene inter se opponuntur nobilis ille infelix et fraterculus gigantis. Poeta de se eodem modo iudicat VI. 166.

malo

malo Venusinam quam te, Cornelia.

A. v. 119 ipsa deliberatio incipit: aulici ad rhombum collustrandum transeunt. Ut fit in dialogis, colloquentes non semper nominantur, unde interdum dubium videtur, quis sit is, qui loquatur. V. 130 Domitiano tribuimus, quamquam alii aliter.

Exspectares post v. 136 missionem consilii, sed poëta addit aliquot versus, quibus Montanum in luce clariore collocare vult. Supervacaneum hoc videri potest, nam si eum eodem modo quo ceteros inducere voluisset, omnia illa de usu eius edendi cet. post v. 107 ponere debuit, antequam ad ipsam deliberationem veniret. Tum v. 136 nullum complementum desiderasset. Ut nunc est, hanc versuum collocationem a solito more poetæ aliquantum differre confitemur.

Satira V.

Ex his satiris, quas iam tractavimus, elucet, Iuvenalem minime fugere certa et constituta disciplina uti in argumentis disponendis. Iis autem, qui hanc poetæ consuetudinem nihilominus negent quique satiras eius nihil esse contendant, nisi laxam partium variarum coniunctionem, quarum necessitudo aut omnino nulla sit aut temere facta, iis satiram quintam commendamus, quam cum oculis apertis perlegerint iudicium aliquantulum mutare cogantur profecto necesse erit. In ea enim insigne documentum poeta tradidit, quanta arte, quanta diligentia in singulis partibus conectendis uteretur. Quæ partes omnes ad materiam propositam referuntur, atque ut sermo semel vel bis longius evagari videatur, at certe ne hoc quidem gaudium nobis continget, ut recte iudicasse videamur, si oculos ad illum sermonem vagantem paulo diligentius cognoscendum iterum flexerimus.

Primum omnium e duabus partibus prologum huius satiræ constare observamus. Prior pars (vv. 1—11) ea continet, quæ poeta de vilitate parasitorum universe loquitur: altera (vv. 12—23) explicat, quare tandem hi ad mensam patroni vocentur. Eiusmodi prologi non sæpe

apud Iuvenalem inveniuntur, qui non amat in eos nimis multa simul conferre. Possis tamen inter se conferre prologos quintæ et sextæ satirarum, cum in hac quoque poeta simile quid præstare videatur. [1])

Prologum autem satiræ V duplicem, ut ita dicam, esse, vel ex eo intellegi potest, quod ipsa cena, de qua potissimum in hac satira agitur, non prius describitur quam v. 24. Quæ antecedunt omnia ad prologum referenda sunt, id quod vel ipsa sententia satis manifesto indicat. Quodsi prologum duplicem vocamus, hoc ita intellegi non debet, tamquam si possit alter sine ullo detrimento adimi. Uterque cum altero aliquid commune habet: posterior artius priore sese ad materiam propositam applicat, minimeque omnium credere licet, Iuvenalem duos scripsisse prologos, ut ingenium atque artem suam venditaret.

Quomodo inter se cohærent? Poeta, sermone in priore parte habito de animis pusillis parasitorum, qui panem, etiamsi cum contumeliis porrigatur, libentius in conviviis patronorum accipiant, quam in pontibus misericordiam prætereuntium implorent, hoc modo transit ad partem posteriorem

primo fige loco, quod tu discumbere iussus
mercedem solidam veterum capis officiorum,

---

[1]) In prologo VI. satiræ primum sermo est de antiqua mulierum pudicitia, deinde poeta transit ad ostendendum, quanto melius Postumus faceret, si cælebs esse non desineret. Postea vitia mulierum enumerantur (inde a v. 60: porticibusne tibi cet.)

i. e. memento illam cenam quasi mercedem officiorum tibi porrigi.

Transitio igitur bene inventa est; quodsi progredientes quæstionem instituere volumus de ea ratione, quæ inter posteriorem hance prologi partem atque ipsam satiram intercedat, hoc non æque facile expediemus. Nam in iis, quæ infra legimus, quid respondet iis verbis, quæ v. 12 leguntur:

primo fige loco, quod tu cet.

Si scurra primo loco considerare debet, cenam quasi mercedem esse, quid deinde considerabit? Nimirum qualis cena ipsa sit (v. 24). At hoc manifestis verbis non dicitur. Tamen ita est; neque enim ullum vestigium invenimus, quod nos ducat ad aliud quidquam, quod versui 12 melius opponatur. Si vero res ita se habet, nonne erravimus, cum vv. 12—23 quasi prologum alterum efficere diceremus? Ut nunc est, non prologus sed pars necessaria ipsius satiræ esse hi versus videntur. Ad hæc respondemus, non verisimile esse, poetam ita satiram in duas partes divisisse, ut prior tantum vv. 12—23 (causam convivii) altera omnes ceteros 24—155 (ipsam cenam usque ad epilogum) contineret. Quare censemus, vv. 12—23 quasi alteram partem prologi esse præmissos, antequam poeta ad rem propositam (v. 24) veniret.

Quoniam oratio in transitionem ad v. 24 factam incidit, non alienum videtur eam cum alia comparare, quam iam antea habuimus. In sat. II. legitur (v. 4):

indocti primum, quamquam cet.

Ibi quoque quærere licet, ubinam sit alterum membrum, quod sequi debeat. Statuimus hoc v. 8 inveniri:

frontis nulla fides.

Recte observari potest, hoc membrum nullo certo verbo cum altero coniungi; attamen nobis persuasimus, hæc duo membra separari non posse. Nam quis versus ad v. 4 melius respondet? Sic in V. satira legentes verba illa: primo fige loco, v. 24 quasi alterum membrum induci statuimus; sed hoc interest inter II. et V. satiram, quod in illa versus 4, 8, 14 totidem membra eiusdem partis significant, in hac autem versibus 12 et 24 duo quidem membra inducuntur, quorum tamen alterum ad prologum, alterum ad ipsam satiram pertinet, ut vel ex inæqualitate eorum videre possumus. His de 23 primis versibus præmissis, illa maior atque præcipua pars, inde a v. 24 ad v. 156 commentarios aliquot desiderat.

Diximus satiram quintam clarum esse exemplum disciplinæ rhetoricæ Iuvenalis. Dividi enim potest in innumerabiles fere articulos, quorum tamen cohærentia ac mutua similitudo anxie observatur. Quod tamen non impedit, quominus poeta more suo locum interdum det exclamationibus et eiusmodi figuris orationis, sed in iis quoque disponendis rhetorum scholas se frequentasse prodit.

Versus ii (24—155), in quibus cena Virronis commemoratur, in tres partes sponte dividuntur. Quarum prima vv. 24—79 complectitur, qui principium cenæ

describunt; in altera sermo est de media cena (vv. 80 —145); tertia denique pars in extrema cena narranda versatur.

In prima parte (vv. 24—79) poeta incipit a vino, deinde transit ad varia poculorum genera. Post hæc decoctæ mentio fit, deinde servorum, qui hæc omnia apponunt. Ultima mentio est panis, qua absoluta hanc satiræ partem poeta eodem modo finit, quo singulas partes satirarum tam sæpe finiri vidimus, sententia generali, ab iis quæ commemorantur apte profecta (vv. 76—79).

Quanta diligentia poeta in his versibus utatur, ex eo videmus, quod semper duo uniuscuiusque rei genera nominat, quorum alterum domino, alterum parasito destinatum dicit. Anxius hoc fortasse videtur, tamen mirum quantum ad ordinem constitutum servandum valet. Quæ cum ita sint, non mirum videbitur, si in his versibus subitæ illæ transitiones omnino non inveniuntur. Fuerunt tamen, qui Iuvenalem reprehenderent, quod post v. 39 sex eos versus adderet, quorum hoc exordium est:

vel si quando datur, custos cet.

At hi commentatores, cum liceret videre, quanto acerbior foret cavillatio parasitorum, si illi versus retinerentur, tamen vituperare maluerunt. Mentio custodis ibidem adfixi peropportune facta est atque plus habet festivitatis Iuvenalianæ, quam ut abesse possit. Verba quæ sequuntur

da veniam, præclara illic laudatur hiaspis

poetæ sunt, cur Virro aurum parasito invitus committat,

explicantis. Ipsa sententia obstat, ne custodis esse credamus: cuius cum sit gemmas numerare, ungues acutos observare, plane elucet non adfixum eum esse, ut loqueretur, sed ut ungues parasiti tacitus observaret. Talem præterea custodem non supervacaneum esse, ea docent, quæ sat. XIII. 147 sqq. adfert poeta. Atque qui sequuntur vv. 43—45 eo maiore iure retinemus, quod multum conferunt ad vanitatem Virronis cavillandam. Gemmas habet, quibus quondam capulus gladii Æneæ distinguebatur, quæ ob eam causam non minus pretiosæ erant quam ille (VI. 156)

adamas notissimus et Beronices
in digito factus pretiosior.

Quas quidem gemmas Virro primo, ut ait poeta, annulis adfixas portat, mox etiam ad pocula transfert. Sic luxuries eius non inepte perstringitur: fingamus ornamenta gladii herois in pocula helluonis translata.

Eos quibus exercitationes declamatorum nimis redolere videntur hæc verba: zelotypo iuvenis prælatus Iarbæ, admonere volumus, nihil apud Iuvenalem sæpius occurrere quam huiusmodi circuitiones. Qui hæc exempla cognoverit: I. 20, 116, III. 91, 118, 137, VI. 8, VIII. 265, X. 127, XII. 70, XVI. 6 — is sine dubio in illo iuvene Iarbæ prælato non hærebit, immo facile concedet, Iuvenalem hoc loco sibi constantem esse, qui iam puer artificiis rhetorum imbutus sit.

Si igitur non habere videmur, cur hi versus exterminentur, cum eos et per se aptos nec a consuetudine

poetæ alienos esse arbitremur, non ita multo post in versum incidemus, quem summo iure pro spurio habeamus. Est 51

non eadem vobis poni modo vina querebar?

Quamquam cum tanto virorum doctorum consensu condemnatus sit, vix opus est plura addere. Non raras esse apud Iuvenalem interrogationes, sæpe ostendimus, at hæc interrogatio, de qua nunc agitur, sola sui generis est. Sive enim quænam ratio intercedat inter eam et eos versus, qui antea leguntur, sive formam grammaticam respicimus, idem iudicium erit.

Post v. 63 duo vel ut alii contendunt tres versus adduntur, quibus poeta more suo unam partem satiræ finit, ut ad alteram transeat. Sic XIII. 26 similem locum habemus, quo poeta ea, quæ proxime antecesserunt, quasi complectitur:

rari quippe boni, numero vix sunt totidem quot
Thebarum portæ vel divitis ostia Nili.

V. 66 a nonnullis retinetur, qui versus, cum iam versus 64—65 habeamus, omnino tolli potest. Additis vv. 76—79 ea pars satiræ, quam primam supra nominavimus, finita est.

In altera parte, quæ a v. 80 incipiens usque ad v. 146 pertinet, sermo est de media cena. Duobis locis ordo institutus abrumpitur, quorum alter (vv. 107—113) a Ribbeckio (l. l. p. 107) verbis acerbissimis reprehenditur. De hoc impetu infra providebimus. Alter locus

vv. 130—145 complectitur, sed hæc a nobis iniuste fortasse abruptio nominatur, quæ quamquam animos eorum, qui legunt, ab ipsa cena avocat, tamen cum sententiam habeat generalem, transitio ad sequentem satiræ partem potius est nominanda.

Ipsa igitur fercula cenæ nunc enumerantur. Qua in re poeta certum ordinem anxie tuetur; itaque post ferculum Virroni appositum semper id sequitur, quod parasito datur. Sed optimus quisque ordo languidus esse potest, et oratio nisi varietur, ocius seriusve flaccescat necesse erit. Quid ergo potius exspectemus, quam illam variationem aptam, quæ vv. 107—113 continetur?

Ribbeckius poetam reprehendit, quod post hos versus uterque conviva ad cenam redeat, tamquam si nihil acciderit. At in sat. I., ubi varia hominum sceleratorum genera enumerantur, poeta non reprehenditur, quod post mentionem signatoris testamenti (v. 67 sqq.) sermocinari incipiat de Gyaris, de probitate, de capro, deinde ad nurus corruptorem (v. 77) revertatur, tamquam si nihil acciderit. [1]) Eodem modo poeta mentionem mulierum luxuriosarum uno loco (VI. 346) abrumpit, qui huius, de quo nunc agitur, simillimus est

audio quid veteres olim moneatis cet.

---

[1]) Hæc est enim dispositio versuum apud R. Alii sermonem de Gyaris cet. post mentionem matronæ ponunt. Utrumque nihil ad rem; caput est, quod ordo in sceleratis hominibus enumerandis institutus subito abrumpitur.

Post sex interiectos versus sermo in feminas probrosas rursus incidit (v. 352).

Ultimus versus 113:

esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis

optime comparari potest cum XII. 130

montibus aurum
exæquet, nec amet quemquam nec ametur ab ullo.

Ad aptam transitionem comparandam ad postremam cenæ partem, mensam secundam, poeta vv. 130 sqq. addit, in quibus de vi et utilitate divitiarum generatim loquitur. Post hos versus suo iure mensam secundam statim hoc modo commemorare potest (v. 146)

vilibus ancipites fungi cet.

Hæc pars (vv. 146—155) nihil habet, quod animadversione dignum sit.

Epilogus (vv. 156—173) optime compositus est. Forsitan tu credas, inquit poeta, Virronem hæc omnia facere, ut pecuniis parcat? Minime: omnia fiunt, ut per lacrimas bilem effundere cogaris. Nam Virro te prorsus perspectum et cognitum habet: te scit nidore culinæ suæ esse captum, nec male coniectat, nam si dives esses hoc non patereris. Et quoniam intellegit spem bene cenandi te decipere (quæ spes qualis sit, vv. 166—68 cavillatione iucundissima ostenditur) profecto non parcit contumeliis. Ille sapit, qui te sic utitur: omnia ferre si potes, et debes — his epulis et tali dignus amico.

Quærimus quid sit in his versibus, quod omitti aut addi possit? Quænam sunt ea, quæ inter sese repugnent? Neque tamen defuerunt, qui alium et meliorem ordinem sententiarum instituere vellent: quos alium invenisse non nego, meliorem nego.

Satira VI.

Satira sexta cum longior esset, si cum ceteris compararetur, eo maiorem causam attulisse videtur, cur ad eam iudicandam atque ex omni parte examinandam studium et laborem viri docti conferrent. Neque negari potest, quin materiam amplissimam iis præbeat, quorum animus inclinet ad certis incertisve argumentis probandum, quid re vera sibi proposuerit poeta, cum hoc longum carmen componeret. Alii aliter scilicet; præclarum esse stiloque dignum poetæ nemo non confitetur.

Totam illam quæstionem, irane an studio iocandi ductus hanc novam laudationem matronarum poeta evulgaverit, eo confidentius omittere posse mihi videor, quod nulla omnino causa est, cur Iuvenalem in hac maxime satira sexta a solito genere scribendi desciscere putemus.

Multum igitur et multa de satira VI Iuvenaliana dicta sunt, quæ nisi paucis non complectar, ne singula persequens multus sim.

Primum locum ea disputatio tenet, quam scripsit Ribbeckius et ad eum librum adfixit, de quo supra sæpissime locuti sumus. In quo libello R. contra eos sese convertit, qui materiam eandem tractaverunt sententiasque

eorum non sine successu refutat. Neque tamen mirum, si hoc quoque loco multa mutat, demit, transponit; adeo ista consuetudine assuevimus, ut quæ sunt ab eo intacta magis quam tacta admirationem commoveant; tamen propter ea, quæ magno ingenii acumine de ratione et disciplina huius satiræ disputavit, facilius adducimur, ut studium eius sermonem poetæ novandi non vituperemus.

Nægelsbachius [1]) universam satiram in quattuor partes dividit. In prima (vv. 1—285) ait mulieres tamquam maritas describi, in secunda (vv. 286—300) originem et fontem tot et tantorum malorum repeti, quem in luxuria atque moribus inde depravatis docet esse quærendum. Tertia pars (vv. 301—591) maritas tamquam feminas inducit, quarta denique (vv. 592—661) in sceleribus manifestis mulierum commemorandis versatur.

Alia est dispositio *Hermanni* [2]), quamquam ei quoque distributio quadripartita placet, quæ tamen nihil commune habet cum ea, cuius auctor Nægelsbachius est. Apud Hermannum primum sermo est de impudicitia mulierum (vv. 1—132), deinde de levitate maritorum, qua illæ in graviora vitia libidinesque instigentur (vv. 133—285); tum fons ipse malorum (i. e. luxuries et universa temporum corruptela) requiritur (vv. 286—473), postremo crudelitas matrum familias nefandæque earum superstitiones nobis ante oculos ponuntur.

Utramque dispositionem claudicare iam Ribbeckius demonstravit. Nægelsbachii nimis artificiosam appellat:

---

[1]) Philol. III. p. 472 sqq.
[2]) l. l. p. XIV.

suo iure, non negamus; sed cum illius, non poetæ, esse contendit multaque ligamina et coagmenta a Nægelsbachio, non a Iuvenale facta esse asseverat, videto profecto, ne in semet ipse legem fatalem constituat. Sic Hermanni quoque dispositionem variis difficultatibus laborare ostendit. [1])

Iuvenalis cum sextam satiram scriberet hoc maxime sibi proposuerat, ut Postumum amicum a matrimonio deterreret. Quod, nisi consilia causis veris et gravibus fulta esse demonstraret, facere non poterat. Duas igitur res simul assecutus est: et oculos amici aperuit et nefanda vitia suæ ætatis mulierum in lucem protraxit. Hoc poetæ consilium fuisse, iam in principio satiræ manifestis verbis significari videtur (v. 25)

> conventum tamen et pactum et sponsalia *nostra*
> *tempestate* paras?

et viginti versibus infra

> quid quod et *antiquis* uxor de *moribus* illi
> quæritur.

Verba igitur Ribbeckii (l. l. p. 148), quæ sunt: *nam argumentum totius satiræ non in enumerandis illustrandisque*

---

[1]) Ad comprobandum, quomodo laqueis ii implicentur, qui disciplinam rhetoricam etiam in rebus pusillis nimis anxie tueri student, apte ea profert, quæ vv. 461 sqq. leguntur. Poeta ibi reprehendit tætra illa medicamina faciei, quibus ora mulierum illis temporibus cottidie tumebant. Hunc locum Hermannus ad tertiam partem suæ dispositionis pertinere dicit. Ribbeckius quærit, cur cetera, quæ de cultu ornatuque mulierum narrantur (v. 475 sqq.) in quartam partem relegentur. Plura sunt exempla.

vitiis mulierum sed in deterrendo amico ab ineundi matrimonii consilio versatur, libenter accipio, dummodo percontari liceat, cur omnino necesse sit eiusmodi distinctionem facere, quæ per se parum facilis et expedita esse videatur?

Maiorem nobis Ribbeckius inicit scrupulum, cum novam formam ut ceteris sic sextæ quoque satiræ dare vult. Nusquam fortasse studium illud ad arbitrium formæ solitæ mutandæ tam aperte cernitur quam hoc loco. Rarum est perpaucos versus videre, quorum ordo non violenter sit interruptus; plerique procul a sede nota quærendi sunt, multi exterminantur, qui aut spurii sunt aut tenori ceterorum nocere creduntur. Sic quoque sententia optima extorqueri potest, sed quam hoc habeat utilitatem, sæpe negavimus nos intellegere posse. Nulla alia est, opinor, nisi quæ in oblectamento ipso perspiciatur. Iuvenalis catenis rhetorum non tam arte devincitur, ut non possit licentiæ poetarum interdum indulgere; quæ licentia non modo non obstat orationi, verum etiam plane apta et nata videtur ad eam variandam et distinguendam. Etenim confitendum est, vix potuisse illam picturam, in qua poeta mulieres suæ ætatis tales nobis monstrat, quales re vera fuerunt, uberioribus aut magis vivis coloribus obduci. Neque transitiones ineptæ sunt; ut ob eam rem necesse non sit alium ordinem proponere. Nam licet duriores aliquando videantur, tamen cum aliis comparatæ a solito poetæ genere scribendi non nimis alienæ videbuntur.

Iam ad dispositionem satiræ universæ oculos flectamus. Ribbeckius primum quærit, sintne in ea versus, qui ad certum aliquod argumentum tam manifesto pertineant, ut partem specialem satiræ constituere dici possint. Respondet esse et addit, cohærentiam horum versuum adeo firmam esse, ut omnis negandi dubitandive copia excludatur. Exordium satiræ, inquit, ubi uxor Ursidio quæritur, sine ulla difficultate poetam commovet ad circos et theatra collustranda, si ibi uxorem idoneam forte inveniat. Idem fere est iudicium de vv. 286—345, quos causam explicare dicit corruptelæ ingravescentis. Scilicet luxuriam esse, quæ et ipsa pessima sit et ad animos hominum depravandos vehementer valeat, ita ut orgiis intersint scelestissimis (vv. 301, 314).

Vv. 461—507 in unum complectitur, quod poeta ibi de cultu ornatuque mulierum præcipue agat. Etiam vv. 511—591 uno fere tenore profluere contendit, quoniam in superstitionibus castigandis maxime versentur. Post v. 591 aliam esse narrationem fere continuam, matres quomodo in liberos maritosque sæviant exhibentem.

Dicere præterea supervacaneum est, eum in iis versibus, quos nunc nominavimus, non omnia intacta relinquere. His demum constitutis partibus transit ad universam satiræ dispositionem atque ostendit, quænam vitia singulis locis vituperentur.

Hæc est igitur dispositio Ribbeckii [1])

[1]) Numeri versuum huius dispositionis Ribbeckii sunt in editione eius: D. Iunii Iuvenalis saturæ, Lipsiæ MDCCCLIX.

vv. 1— 24 exordium
„ 25— 27 causæ constitutio
„ 28— 32 matrimonium pessima res est
„ 33— 67 uxores sunt discordes
„ 68—115 „ „ imperiosæ
„ 116—282 „ „ causa infamiæ mariti
„ 283—288 de dote nummorum
„ 289—357 „ „ pulchritudinis
Iam sex minora vitia sequuntur:
„ 358—372 græcissandi adfectatio
„ 373—386 nummorum profusio
„ 387—405 studium in cantores
„ 406—502 superstitio
„ 503—525 putida eruditio
„ 526—547 viraginum ferocitas
Iam conclusio fit:
„ 548—564 etiam optimæ intolerabiles
„ 565—615 in proximos sæviunt

Dispositio Ribbeckii quamvis ingeniosa sit minus placet, quod, si eam probemus, mutationes crebras versuum etiam probare cogimur, quas fecit, ut novum ædificium tutius fulciret. Recte sine dubio statuit, indignam et prorsus alienam a Iuvenalis ingenio eam opinionem esse, *qua nullo ordine servato fudisse tamquam informes carminum fetus, non elaboratas diligentissime singulas partes callide digerere et coligare studuisse poetam rhetorica præsertim disciplina eruditum fingunt.* Sed longius ire videtur. Non credit œconomiæ huius satiræ satisfieri nisi in singulis vitiis commemorandis omnes ii versus una inserantur,

quos cum singulis vitiis aliquid commune habere arbitretur. Sic rhetoricam Iuvenalis disciplinam a iudicio maligno obtrectatorum vindicare studet, quam tantum abest ut a poeta abiudicare velimus, ut contra eius quasi proprium aliquod esse asseveremus. Hoc tantum monemus, cavendum esse, ne nimio studio incensi poetæ libertati scribendi officiamus.

Videamus quomodo Iuvenalis inde a principio ad finem satiræ agat.

Brevi proposito exordio, quo mores antiquitatis mulierum adumbrantur, poeta transit ad causam explicandam, cur hanc satiram scripserit: se enim comperisse, amicum uxorem esse ducturum (v. 25). Quod consilium cum nimis stolidum videatur, in proximis versibus variis modis cavillari non omittit. Atque ut ostendat amico, quam difficile sit probam et honestam uxorem adipisci, primum eas mulieres collustrat, quibus omnes porticus theatraque omnia tum redundabant (v. 60). Quarum levitatem cum apte depinxit, quo maiorem sibi fidem comparet, notissimam illam de Eppia fabellam addit (v. 82). Si quis autem graviora etiam documenta desideret, alterum et quidem gravius exemplum corruptelæ inauditæ præbet, cum excursiones nocturnas Messalinæ in luce solis examinat (v. 115). Adfirmanti amico, rem non tam male se habere multasque uxores a maritis laudari, poeta respondet (v. 137), illas laudes aut doti uxoris aut pulchritudini tribui, sibique se persuasisse dicit, laudibus curas quoque clam immisceri, cum imperare et pecuniam erogare nulla uxor non amet. Tum amicus quærit, nul-

lane mulier digna sit, quam uxorem ducat. Respondet poeta, nullam esse (v. 162). Sit enim illa, inquit, vel optima, sit altera Cornelia virtutibus non minus quam triumphis ornata, tamen propter fastidium et superbiam intolerabilis esse potest monetque Niobe, ne spes nostras in nimia fortunæ abundantia reponamus. Tam altis exemplis relictis poeta in turbam inferiorem rursus descendens vitia mulierum in album referre pergit. Quorum non minimum esse dicit studium ridiculum græcandi (v. 185). Debere ergo amicum matrimonio abstinere, nisi eam uxorem velit, quæ inter Furias numeranda sit vel maritum mille modis cruciare plane intellegat. Multa præterea esse et fere innumerabilia ob socrum incommoda (v. 231), immo lites iudiciaque sæpenumero imminere (v. 242); endromidas Tyrias et femineum ceroma neminem nescire (v. 246). Sæpe zelotypam esse maritumque accusare solere, dum ipsa inscio marito in complexibus primi cuiusque servi iaceat (v. 270).

Iam amico tempus esse videtur interpellandi. Quam ob rem causam tantæ miseriæ requirit (v. 286). Respondet poeta nobilissimis illis versibus, quibus castos maiorum mores opponit luxuriæ libidinibusque nepotum, monstrandique causa, quo audaciæ progressæ sint recentiores, flagitia detegit Tulliarum Maurarumque vel earum, quæ in orgiis Bonæ Deæ incredibili morum fœditate non modo sese verum etiam cærimonias et sacra publica polluant.

Frustra custodes adhiberi, nulla esse impedimenta, quominus uxor foras se præcipitet, ut animi corporisque licentiæ indulgeat. Currere matronas ad eunuchos molles,

eorum oscula, eorum complexus tamquam tutiores amare (v. 366). Omnem sexus feminei pudorem eiusmodi uxores exuere, totam eas urbem pervolare, catervis se immiscere virorum, rumores captare, rumores comminisci (v. 398). Vix credi posse: esse tamen, quæ nihil in ore habeant nisi Homerum Vergiliumque (v. 434).

Pulchritudinem corporis interea esse conservandam. Domi igitur variis artificiis quasi personatam esse faciem uxoris, mœchis tantummodo lotam (v. 461). Non sine multis servorum lacrimis hæc omnia fieri.

Sub finem poeta loquitur de superstitionibus mulierum. Inter eos, inquit, qui apud uxores se callide insinuant, primum tenent locum Bellonæ sacerdotes (v. 511), deinde Ægyptii (v. 522), mulieres Iudaicæ (v. 542), Armenii (v. 550), Chaldæi (v. 553). Eos consulit uxor, quid sidera de morte mariti portendant, nec quidquam nisi inspecta genesi facere audet. Multo sunt bestiis inferiores hæ feminæ: necant liberos suos priusquam eos enixæ sint, quod tamen tibi cordi esse non debet, cum tu non sis eorum pater, licet dicaris. Sunt etiam, quæ philtra Thessala et venena misceant: cavete tunc tu liberique tui, nam a morte non procul remoti estis. Nec modo occidit proximos uxor, verum etiam se occidisse gloriatur. Hymen o Hymenæe.

Hæc dispositio non minus digna Iuvenalis rhetorica disciplina videtur quam ea, quam finxit Ribbeckius. Qui ut omnia ad normam fierent primum quasi ossa omnia collegit, deinde diligentissime curavit, ut accurata eorum coniunctio esset, tum carnem cutemque addidit. Cum

vero ad satiram refingendam aggressus sit, cuius restitutio omnino supervacanea dici possit, huic studio eius indulgere vix poterimus. Iam in principio libelli negavimus nobis licere versus Iuvenalis ad arbitrium mutare aut inter se miscere ad sententiam meliorem reddendam. Quid, quod et negat R., scriptam esse hanc satiram, ut enumerationem vitiorum exhiberet, et nihilominus eandem enumerationem in sua dispositione probat?

Transimus ad locos singulos examinandos. Prologi versus sine impedimentis profluunt usque ad v. 21. Sermo est de moribus honestis veterum, quorum simplicitatem laudat quidem poeta, sed ita ut deos antiquos fabulasque haud dubie cavilletur. Iam antea hoc studium eius deprehendimus. In prima satira vv. 81 sqq. non nimis severi sunt; in sat. II. alia exempla sunt. Cfr VI. 393, VIII. 132, XIII. 40, 78. — V. 7 poeta more suo nomen ipsum non nominat, cuius rei aliud exemplum est XVI. 6:

> et Samia genetrix quæ delectatur arena.

Post v. 20 poeta subito se ad amicum his verbis convertit:

> antiquum et vetus est alienum, Postume, lectum
> concutere atque sacri genium contemnere fulcri.

Prologo enim finito ad ipsum argumentum transire vult. Similem transitionem in sat. XIII. invenimus, ubi poeta post aliquot versus, quibus sententia generalis continetur, hoc modo orationem continuat (vv. 5—6):

> quid sentire putas omnes, Calvine, recenti
> de scelere et fidei violatæ crimine?

Quin etiam maior est similitudo dispositionis, quæ est in exordio satt. VI et XIII, quam vulgo conceditur. Utraque a prologo incipit, in quo mox is nominatur, ad quem satira scripta est. Tum sermo rursus incidit in pristina illa tempora (VI. 23, XIII. 38 sqq., qui versus mirum quantum prologum sat. VI. sapiunt). Atque ut VI. 25 poeta colloquium denuo incipit

> conventum tamen et pactum et sponsalia nostra
> tempestate paras?

sic etiam XIII. 71 his verbis pergit:

> intercepta decem quereris sestertia fraude
> sacrilega?

Non est igitur necesse vv. 23—24 ante vv. 21—22 ponamus, ut fecit Rupertius, aut cum Heineckio quasi spurios exterminemus.

Causam, cur scripserit hanc satiram, poeta vv. 25 sqq. nominat omnesque nervos contendit, ut amicum a matrimonio deterreat. Præclari sunt hi versus, Iuvenale dignissimi, transitionem in sequentem partem (vv. 60 sqq.) apte munientes. Duo ex iis formam habent dialogi, quod apud Iuvenalem sæpe occurrit (I. 150, 158, 160, 170, II. 70, 132, 163 cet.). Postumus enim dicit v. 53

> unus Hiberinæ vir sufficit

ad quod poeta respondet: ocius illud cet. Pergit Postumus

> magna tamen fama est cuiusdam rure paterno
> viventis?

Responsum v. 56 sequitur: vivat Gabiis cet.

Mirum est quod scribit Heinrichius (l. l. p. 226), interpungendum esse post Fidenis, ut hæc lectio fiat:

vivat Gabiis, ut vixit in agro;
vivat Fidenis. Et agello, cedo, paterno:

Vivat Gabiis l. Fidenis, inquit, ut vixit in agro: id non poterit. Nimirum in illo plano agello paterno peccare non potuit, sed quis adfirmat nil actum in montibus aut speluncis? Severe hoc dicit Heinrichius an iocatur? An credibile est, Iuvenalem tam leve iudicium fecisse?

Inde a v. 60 mulieres Romanæ in aciem primam prodeunt. Priorem sat. VI. partem cognatam esse sat. XIII. supra ostendimus. Addere possumus satt. quoque III. et VII. cum VI. aliquid commune habere. Nam post exordium, ubi Umbricius de misera æqualium condicione universe loquitur, poeta (III. 58) transit ad varia incommoda nominanda

quæ nunc divitibus gens cet.

Sic in VI. post querimonias illas de pravitate sexus muliebris ac dialogum cum Postumo singula vitia inde a v. 60 tractantur. Atque ut in sat. III. statim post v. 58 ridiculi aliquid invenimus

rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
et ceromatico fert niceteria collo,

sic in VI. post v. 60 Thymelen rusticam in theatro non sine risu videmus.

Sat. quoque VII. a sententiis variis incipit, quas poeta amico impertit. Tum enumeratio sequitur incommodorum (v. 36)

accipe nunc artes cet.

Qua parte satiræ sales et facetiæ non desiderantur. Non rusticum illum satiræ III. habemus, non Thymelen; at poetas esurientes, quos insanabile scribendi cacoethes quiescere non patitur, et Rubrenum Lappam

cuius et alveolos et lænam pignerat Atreus.

Neminem fugit, Iuvenalem singulas partes satirarum in ordinem longum sæpe ita digerere, ut nulla esse videantur ligamenta præter sententias illas generales, quibus partes præcedentes ab iis, quæ sequuntur, secernere solet. Quam ob rem longam seriem huiscemodi membrorum partiumque parvarum non raro deprehendimus. Is qui legit ipse plerumque sentit, quando novum membrum venturum sit, raro fallitur; singuli articuli suo quisque tempore adsunt. Cuius rei exempla sunt

chironomon Ledam molli saltante Bathyllo cet. (v. 63)

nupta senatori comitata est Eppia cet (v. 82)

In sat. V. hæc consuetudo poetæ maxime apparet:

et multo stillaret pænula nimbo.
aspice quam longo distendat pectore lancem
(vv. 79—80)

propter quod Romæ cum Bocchare nemo lavatur.
mullus erit domino, quem misit Corsica
(vv. 90—92)

esto ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
anseris ante ipsum magni iecur
(vv. 113—114)

quoties parasitus venerit infans.
vilibus ancipites fungi ponentur amicis
(vv. 145—146)

Postquam poeta libidinem Eppiæ et Messalinæ depinxit, hæc verba addit (vv. 133 sqq.):

hippomanes carmenque loquar coctumque venenum
privignoque datum? faciunt graviora coactæ
imperio sexus minimumque libidine peccant.

Neque mirum si primo aspectu non facile adducimur ad hos versus retinendos. Ribbeckius (l. l. p. 174): qua tandem causa, inquit, motus poeta eos Messalinæ nocturnis grassationibus proxime subiunxisse credatur, nemo interpretum explicavit. Videamus, num recte agat ille, cum contra testimonia codd. eos exterminat. Negat igitur posse defendi. At possunt, sive hoc loco eos habemus, sive in eam satiræ partem transponimus, ubi de philtris venenisque sermo est. Primo quidem propensi eramus ad eos relegandos in finem satiræ, e. gr. ante v. 627, sed quo magis rem perpendebamus, eo magis animus inclinabat ordinem constitutum hoc loco defendere. Poeta, quæ est eius consuetudo a minoribus ad maiora progredi, postquam expeditionem nocturnam Messalinæ commemoravit, etiam graviorum facinorum mentionem facere vult. En una, inquit, ex nobilissimæ mulieris virtutibus: iam pauca addamus de peritia sexus muliebris

philtrorum et venenorum. At amicus plura audiendi non cupidus, sermonem interrumpere festinat contenditque esse uxores, ut Censenniam et Bibulam, quæ a maritis amentur. Sic alio se flectit oratio et poeta reprehensionem veneficarum differré cogitur.

Refutato iudicio Postumi de Censennia et Bibula, præstantiores feminæ, quales fuerunt Cornelia al., in scænam inducuntur. Versus illi duo (159—160), qui parti priori finem imponunt, orationem Iuvenalianam valde resipiunt, cum quale sit id, de quo agatur, circuitione et anfractu significent.

In vv. 178—183 Ribbeckius iniquissimis verbis sævit, pannum adsutum eos appellans factosque a discipulo aliquo rhetorum. Molesta repetitio hæc pars ei videtur, tanto peior prioribus versibus; quanto rhetoris illius discipulus Iuvenale. Cur tamen poeta nos hoc loco tam vehementer offendat? Adeone hi versus a sermone Iuvenalis discrepant? Nonne simillimi eorum sunt, qui eam tertiæ satiræ partem finiunt (vv. 119—125), ubi de Græculorum importunitate Umbricius queritur? Cfr X. 104—107. Ribbeckio valde displicet interrogatio illa

quis deditus autem
usque adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,
horreat inque diem septenis oderit horis?

Cfr V. 129

quis vestrum temerarius usque adeo, quis
perditus, ut dicat regi: bibe?

Cfr etiam X. 97

> sed quæ præclara et prospera tanti,
> ut rebus lætis par sit mensura malorum?

Addamus non esse, cur stomachum nobis moveant verba, quæ sunt septenis horis. Non enim hic significant unius horæ spatio maiorem diei partem, ut Ribbeckius iocatur, sed tantummodo maiorem partem (Heinrichius l. l. p. 238), id quod probe scit ille quidem, quamquam oblivionem simulare mavult.

Versus 184

> quædam parva quidem sed non toleranda maritis

transitionem efficit ad ea, quæ sequuntur, minora vitia, quem ad modum in tertia satira poeta variis urbis incommodis enumeratis ad cetera transit v. 268

> respice nunc alia ac diversa pericula noctis.

Cfr VIII. 183—84

> quid si numquam adeo fœdis adeoque pudendis
> utimur exemplis, ut non peiora supersint?

Vix opus est dicere, hanc transitionem (VI. 184) non cogere poetam parva tantum vitia usque ad finem satiræ adferre. Videmus eum in iis, quæ sequuntur, modo minora modo graviora patefacere, sed tamen ita, ut pessima eorum in extrema satira collocet.

Eiusmodi parva vitia sunt e. gr. adfectatio ridicula græcandi, litium amor, exercitatio armorum. Sed etiam alia nominantur, quæ poeta sine dubio parva non vult appellare, ut ea, quæ sunt vv. 224, 279 al. Sed quis

tam severus iudex est, ut ob eam rem ordinem totius dispositionis, tamquam si satis accurata non sit, violenter dirimat aut a scriptore abiudicet?

V. 21? subitam exclamationem continet eius generis, quod supra sæpe laudavimus (I. 101, III. 67, 184, V. 135). Unaquaque huius satiræ pagina eiusmodi exclamationes, interrogationes, dialogos invenimus, quæ produnt auctorem. Mirum quantum inter se non raro congruunt, si locos singulos conferimus. Est igitur vv. 239 sqq.

> scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
> atque alios mores, quam quos habet? utile porro
> filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Tum nova pars subito sequitur:

> nulla fere causa est, in qua non cet.

Comparari cum his versibus possunt III. 184 sqq.

> quid das, ut Cossum aliquando salutes?
> ut te respiciat clauso Veiento labello?
> — — — præstare tributa clientes
> cogimur et cultis augere peculia servis.

Transitio subita est:

> quis timet aut timuit gelida Præneste ruinam?

Plura licet ostendere. Nam ut poeta media castigatione moram facit (VI. 286—300), ut remissiore voce commentarios aliquot de causis malorum faciat, mox ad materiam propositam redit, sic in sat. V. intermissioni locum dat (vv. 107—113), ut ad homines divites sese convertat, eo

quoque loco pristina illa tempora laudans, deinde cenæ descriptionem continuat.

Nonnumquam Iuvenalis transitionem sibi comparare solet verbis quæ sunt *i nunc.* Adhibetur hæc transitio v. 306 ad par nobile sororum introducendum. Cfr X. 166, 310, XII. 57.

V. 349

iamque eadem summis pariter minimisque libido

similior eius est, qui in sat. I. legitur

exspectes eadem a summo minimoque poeta,

quam ut eum retineamus. Ribbeckius (l. l. p. 171) damnat eum tamquam artificiis interpolatoris in contextum immissum: non sine iure ut videtur. Sed cum idem contendit, vv. 350—365 nihil commune cum iis habere, qui præcedunt, difficile est ei assentiri. Tota enim hac parte satiræ (vv. 300—365) de libidine mulierum agitur. Ogulnia, inquit Ribbeckius, nec infimæ condicionis muliercula nec impudicitiæ rea est. Illud facile concedimus, hoc non item. Ludos spectat; solosne ludos? Quid sibi vult illa puella, cui mandata det, aut leves illi athletæ? Sine dubio et Ogulnia et omnes eæ, quibus res angusta domi, propter immodicam libidinem reprehenduntur. Cum vero vv. 300—345 poeta loquatur de mulieribus opulentis, vv. 350—365 etiam de pauperibus, necesse est vinculum aliquod statuamus. Sed quod vinculum magis idoneum inveniri potest, quam quod vv. 350—51 est:

nec melior, silicem pedibus quæ conterit atrum,
quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

In ea parte satiræ, qua poeta eunuchos et cantores perstringit, nihil difficile occurrit. Ad vv. 393—95 cfr II. 126—132.

Magna est dissensio inter viros doctos, quomodo explicari debeant vv. 444—47. Alii ordinem immutant, alii argumentis, alii denique gladio hunc locum sanare student. Sententia mihi hæc esse videtur. Sapiens mulier finem imponit (i. e. temperat) etiam honestis rebus. Hoc igitur ea facere debet, quæ erudita est, nam pudorem sexus muliebris exuit, si *nimis* docta videri cupiat. Concedendum est, usum particulæ nam hoc loco paulum insolitum esse. Kiærius (l. l. p. 157) aliud tamen adfert exemplum e sat. X. (v. 204) sumptum. Cum Heinrichio ita versus transponere, ut 445—47 post 456 veniant, deleto v. 444, inutile est. Finis v. 456

solœcismum liceat fecisse marito

nullum desiderat complementum.

Cultus ornatusque mulierum inde a v. 457 pertractantur. Tres versus (461—63) a Ribbeckio post 464—66 ponuntur. Qua de causa? Ut uno tenore ii versus continuentur, qui sunt de cataplasmatis? Non necessarium est, cum vv. 464—66 pro interclusione sint habendi. An quia vocabulum, quod est interea (v. 461) non habet quo referatur? Cfr VI. 508, II. 137. An quia vocabulum *tandem* (v. 467) solum et separatum videtur? Hæc res est levis momenti.

Quoniam sermo incidit in ornatum mulierum, poeta transit ad exponendum, quid illæ toto agitent die (v. 474

sqq.); incipit ergo a cosmetis, deinde pergit ad varias classes hariolorum. Totus ille locus (vv. 511—591) his datur. Ad v. 582 sqq. Ribbeckius multum queritur de turbato ordine sententiarum. Quantum ego video poeta dicit mediocrem feminam vates suos quærere in circo, divitem apud nobiliores augures. Vv. 585—87 interclusionem efficiunt, ut supra 464—66, deinde expositio fati plebei continuatur. Nam v. 589 feminam de plebe significat poeta, sive armum, sive aurum (i. e. aureum torquem prostibulorum) legimus.

Weidner subitam dicit transitionem esse a v. 609 ad v. 610, sed quæ excusari possit. Quidni? An tam raræ eiusmodi transitiones sunt apud Iuvenalem, ut ad explicationes ampliores nos confugere opus sit?

Satira VII.

In argumento satiræ septimæ disponendo novum exemplum poeta dat rhetoricæ illius disciplinæ, qua imbutus ad hoc genus scribendi accesserat. Alii aliter de hac satira fortasse iudicant; mea quidem sententia magna vis eius et præstantia in eo potissimum cernitur, quod poeta occasionem si qua detur de recta via deflectendi, omnino fugit materiamque propositam inde a principio usque ad finem nusquam e conspectu amittit. Quamquam enim versus illi, qui sunt I. 85—86

quidquid agunt homines votum timor ira voluptas,
gaudia discursus nostri farrago libelli est

scriptori permittere videntur, ut liber a vinculis huc illuc passim vagetur, quocumque eum casus aut voluntas traxerint, tamen haud raro fit, ut certis finibus eum campum circumscribat, in quo ludere gestiat; quem campum numquam tam arte metitur, ut non sit spatium decurrendi. Neque negari potest, quin eæ satiræ, in quibus ad rem propositam artius se applicet, ceteris præferendæ sint.

Iuvenalis in sat. VII. miseram eorum condicionem ostendit, qui illis temporibus in artibus liberalibus et lit-

teris versabantur. Primum de miseris poetis, qui et penuria et olivione tum laborabant, universe loquitur (vv. 1—35). Transit ad singula incommoda docetque maxima impedimenta, ne poetæ successu fruerentur, in avaritia divitum patronorum sita esse (vv. 36—97). Tum ad historiarum scriptores transgressus monstrat eos iisdem vinculis egestatis implicari (98—104). In eadem causa esse causidicos (vv. 105—149): magnis illos præmiis laborum adfici: sicco petasunculo, thynnis aliquot aut bulbis. Transit inde ad rhetores, quorum sortem miseram esse dicit (150—214), non tamen adeo miseram, ut non grammaticorum miserior etiam sit, qui toto anno non tantum accipiant, quantum uno die in circo aurigæ (vv. 215—243).

Magnam similitudinem in argumento disponendo inter satiram tertiam et septimam intercedere, iam supra diximus. Ibi quoque poeta incipit a tristi et adflicto statu eorum hominum, qui in urbe honeste vivere studebant, deinde varia incommoda describit, quibus ii adficiebantur, qui communem luxuriam et ingravescentem morum depravationem cum divitibus participare nolebant aut certe non poterant. Quæ similitudo præterea ad ipsum habitum et formam usque pertinet, si quidem in transitiones, quibus utitur poeta, oculos coicimus; qua de re infra loquemur.

Sinceri esse si volumus confitendum est, exiguum admodum id solacium esse, quod in initio satiræ a Iuvenale poetis miseris præbetur. Qui quanta in miseria illis temporibus versati sint, quantæque curæ eos presserint, neminem fugit; quam ob rem digni erant, quibus

ex animo gratularemur, si quidem iis contigisset, ut spes auxilii alicunde conciperent. Hoc vero iis licere, poeta iam v. 1 adfirmat:

> et spes et ratio studiorum in Cæsare tantum

et paulo infra apertius etiam (vv. 17 sqq.):

> nemo tamen studiis indignum ferre laborem
> cogetur posthac, nectit quicumque canoris
> eloquium vocale modis laurumque momordit.
> hoc agite, o iuvenes, circumspicit et stimulat vos
> materiamque sibi ducis indulgentia quærit.

Sed hæc solacia vana esse videntur. Quo diutius scriptor fractis et adflictis rebus poetarum occupatur, eo celerius spes eius ad irritum cadit. Quondam, inquit, labores præmiis debitis compensabantur:

> tunc utile multis
> pallere et vinum toto nescire Decembri.

Iam vero omnia mutata esse queritur:

> quis tibi Mæcenas, quis nunc erit aut Proculeius
> aut Fabius, quis Cotta iterum, quis Lentulus alter?

Dicas, si velis, in his versibus poetam non sibi constare; non negaverim. Sed licet plura huiuscemodi exempla apud eum invenerimus, hoc tamen loco, ubi de tristi condicione suæ ætatis poetarum agit, inconstantia eius et intellegi potest et excusari.

Ex iis 35 versibus, quibus Iuvenalis universe describit, quomodo illis temporibus necessitate coacti ii viverent, qui carmina componerent, omnes fere locum bene

defendunt; cohærentiam eorum dissolvere nemo neque voluit neque potuit. Omnium tamen consensu v. 15 exterminatus est

quamquam et Cappadoces faciant equitesque Bithyni.

Non quod cursum ceterorum versuum lædat abiectus est; difficiliores versus, quam hic est, apud Iuvenalem defendi possunt; aliæ et graviores causæ accesserunt. Iam diu pervulgatæ sunt: correpta prima syllaba vocabuli, quod est Bithyni, iidem Bithyni in Galatiam traducti et una cum Cappadocibus ab Asianis separati, hæc omnia sufficiunt ad id iudicium comprobandum, quod a Pinzgero, Heinrichio, Iahnio, Ribbeckio, Weidnero al. uno ore factum est.

Postquam his versibus poeta vitam et condicionem filiorum Apollinis quasi obiter adumbravit, v. 36 transit ad eandem quæstionem accuratius examinandam. Eodem igitur modo hic agit quo in satira III, ubi a vita intolerabili urbana incipit, mox festinat ad singula incommoda, quibus ii excruciabantur, quorum opes nimis exiguæ erant, quique ob eam causam in urbe manere, cuiusvis generis molestiis expositi, cogebantur. Transitione erat ei versus 58

quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris.

Versus illi 36—97 et veri et gravissimi sunt. Produnt magnam et elaboratam artem auctoris; quæ verba adhibet, ut monstret, qualis vates egregius esse debeat

cui non sit publica vena,
qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
communi feriat carmen triviale moneta,

ea mirum quantum in ipsum conveniunt. Quo fit, ut et rari sint adversariorum impetus in ea et, ubi facti sint, facile repelli possint. Bis aut ter Ribbeckius habet, quæ in iis reprehendat, quare accedimus ad verba eius exquisitius iudicanda.

Immixtus ceteris versibus, in quibus Iuvenalis de pauperibus poetis disserit, hic quoque invenitur (v. 51)

consuetudo mali, tenet insanabile multos

Quæritur, cuinam originem huius versus debeamus. Ribbeckius sine ulla dubitatione eum spurium appellat, causas adferens, cur exterminandus sit; plerique tamen aliud faciunt iudicium.

Primum confitemur per se versum minime ineptum esse, cum sententiam contineat, quæ et vera sit et alibi apud poetam passim eluceat, ut XIII. 239—40

tamen ad mores natura recurrit
damnatos, fixa et mutari nescia.

Atque si quærimus, quænam ratio inter malum ambitiosum et insanabile cacoethes intercedat, Weidner observat, quod haud scio an nemo refutet, legitimam et germanam gradationem esse, qua ab illa mali consuetudine poeta ad morbum insanabilem perveniat.

Quod dicit Ribbeckius (l. l. p. 130), molestum esse illud tenet, tenet, bis positum, vix intellegimus, cur non liceat poetæ, arte et disciplina rhetorum imbuto, ora-

tionem figuris rhetoricis ornare et distinguere. Cfr VI. 279—80

> dic,
> dic aliquem, sodes, hic Quintiliane colorem.
> hæremus, dic ipsa

In eadem satira ita leguntur vv. 585—86:

> divitibus responsa dabit Phryx augur et idem
> conductus, dabit astrorum mundique peritus.

Utroque loco Ribbeckius ita contextum corrigit, ut figura rhetorica amoveatur. Sibi ipse igitur constat, cum versum 51 satiræ VII. reicit, ne molestum illud tenet iteretur. Summam hæc omnia nobis facerent mirationem, nisi studium eius suo arbitrio omnia disponendi nobis plane perspectum esset. — Multa eius rei exempla iam vidimus, plura videbimus; ea omnia non satis valida esse, quibus nisi dimidiam partem satirarum Iuvenalis ab altera segregemus, contendere non dubitaverimus.

Immo contra apud hunc poetam multa exempla invenimus, ex quibus appareat, hunc morem multa verba, si non eadem scriptione, at certe eadem sententia, iterandi apud eum latissime patere. Cfr III. 29—30

> vivant Artorius istic
> et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt.

Ex sat. VI. permulta exempla congerere possumus

> vivat Gabiis ut vixit in agro,
> vivat Fidenis (vv. 56—57).

contempsit pelagus, famam contempserat olim (v. 90)

malo,
malo Venusinam quam te, Cornelia (vv. 166—67)

dic mihi nunc, quæso, dic, antiquissime Divum (v. 393)

cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
turba tacet (vv. 438—39)

iam nemo tubas, nemo æra fatiget (v. 442)

odi
hanc ego, quæ repetit volvitque Palæmonis artem
(vv. 451—52)

nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil (v. 457)

tandem aperit vultum et tectoria prima reponit (v. 467)

Hæc et alia multa prohibent, ne iterationem eam, quæ est VII. 51, tantopere reformidemus, ut ob hanc causam versum interpolatum esse contendamus. [1])

Aliud restat argumentum Ribbeckii, quo sententiam suam confirmare studet. Verbum, quod est multos, hoc loco iners et absonum appellat et accusat interpolatorem, quod permiserit, ut id in versum irreperet. Pulchritudinem versus defendere neque possumus neque volumus — non est dubium, quin poeta eum meliorem reddere potuerit — sed ipsa mutatio personarum, qua Ribbeckius offenditur, non insolita est apud Iuvenalem, ut VI. 479 sqq.

hic frangit ferulas, rubet ille flagello,
hic scutica; sunt quæ tortoribus annua præstent.
verberat atque obiter faciem linit

[1]) Est in codd. nisi quod *insatiabile* pro *insanabile* in duobus (Ulmensi et Gothano II) legitur. Iahnius primus, ut videtur, eum in disceptationem vocavit.

In satira XI. sermo 'primum est de Rutilo deque eius egestate: fertur

scripturus leges et regia verba lanistæ.

Poeta tamen iam versu seq. (9) subito transit ad novam classem hominum inducendam ·

multos porro vides, quos cet.

Cur idem sat. VII. 51 facere non poterit?

Contra ordinem versuum in ea parte satiræ, qua nunc occupati sumus, Ribbeckius habet, quæ adferat. Dicit enim (l. l. p. 142) vv. 74—78

non habet infelix Numitor, quod mittat amico:
Quintillæ quod donet, habet: nec defuit illi,
unde emeret multa pascendum carne leonem
iam domitum: constat leviori belua sumptu
nimirum, et capiunt plus intestina poetæ

alieno loco vulgo collocatos esse eosque post v. 93

haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt

ponendos esse. Causas præbet, quæ tamen omnes in studio eius omnia ad normam pulchritudinis conformandi sitæ sunt. Hoc modo totum hunc locum intellegit: non posse eum poetam inter æquales eminere, qui nesciat unde cultum victumque sibi comparet. Horatium Vergiliumque et carmina componere et vita beata tutos frui potuisse, Rubrenum propter penuriam non item. Alterum esse exemplum Lucanum; eum et carminibus et divitiis nomen illustre apud posteros esse habiturum, contra Saleium Statiumque in miseriis vitam degere. Hæc omnia

recte dicuntur; iam vero difficultates apparent; nam post eum versum, qui est

haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt

negat posse intellegi, cur vati invidere non debeamus, nisi accedant plures versus, quibus hoc explicetur. Hoc eo confidentius poscere posse sibi videtur, quod antecesserit versus ille

quod non dant proceres cet.

quem ait complementum necessario desiderare.

Huc accedere demonstrat, quod verbo, quod est invideas, alia persona atque ea, de qua v. 94 agitur, significetur. His ductus causis ita transponit ordinem versuum 74—78, ut in editione eius post v. 93 legantur.

Similitudo denique, quæ est inter *pascunt* (v. 93), *pascendum* (v. 76), *intestina* (v. 78) eum impulisse videtur ad hos versus in unum locum congerendos. Hoc uno loco excepto ceteris omnibus huius satiræ seriem versuum ita retinet, ut in codicibus editionibusque invenitur.

Sed quamquam moderate egit, cum præter opinionem unum tantum locum emendare statueret, facere non possumus, quin hanc quoque emendationem supervacaneam esse putemus multoque melius eum facturum fuisse, si eam omisisset; confitendum est enim, si incorrupte atque integre iudicare volumus, eas causas, quæ a Ribbeckio allatæ sunt, non satis validas esse ad eos, qui legunt, commovendos, cum magna ex parte fictæ esse videantur, ne sola satira septima reprehensione libera evaderet.

Nobis hi versus nulla medicina egere videntur. Divites patroni, inquit Iuvenalis, nihil conferunt miseris poetis (exempla avaritiæ inveniuntur vv. 36 sqq.): tamen hos tenet insanabile cacoethes scribendi, quam ob rem litus sterili aratro versare non desinunt. Non tamen difficile est videre, hæc carmina invita Minerva esse facta, nam variæ curæ impediunt, ne poetæ totos se studiis dedant. Horatius et Vergilius in omnium rerum abundantia vixerunt, sed iniquum est poscere, ut Rubrenus Lappa idem præstet, quod veteres tragœdiarum scriptores. Ille omnia quæ habet oppignerare cogitur — quare? Quia nemo ei subvenit

non habet infelix Numitor, quod mittat amico

Lucanus quidem in hortis suis contentus iacere potest, at contra Statius esuriet, nisi pantomimis scurrisque fabellas elucubret.

haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

Parum enim iucundum est in potestatem talium hominum venire, qualis e. gr. Paris fuit. Quondam poetæ patronos meliores invenerunt, nunc vero

quis tibi Mæcenas, quis nunc erit aut Proculeius?

Hæc est horum versuum apud Iuvenalem dispositio, neque ipsa inepta, neque a solito eius more materiæ disponendæ abhorrens; cur eam in aliam formam redigere opus sit? Nam quod dicit Ribbeckius, vv. 90 et 93 per alios versus explicari debere, hoc recte dicit, sed explicationem iam habuimus in iis vv. 74—78, qui an-

tecesserunt. Neque est, quod mutationem personarum (vv. 93—94) prohibere censeamus, quominus hi versus unus post alterum legantur. V. 93 sententiam generalem continet, quales apud Iuvenalem sæpissime occurrunt; v. 94 rursus ad eos se convertit poeta, quibuscum ei sermo est.

Sequitur ut vv. 88—89 intueamur, nam quæstio est sintne ii a Iuvenali scripti.

ille et militiæ multis largitur honorem,
semestri digitos vatum circumligat auro.

Ribbeckius eos damnat, cum nil nisi adnotationem ieiunam interpolatoris exhibeant, quem hoc modo vim et virtutem versus eius qui est 92

præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos

alieno loco imminuere dicit. Quod ei facile assentiremur, si post v. 92 legerentur; cum vero antecedant, omnino non videmus, cur tam funesti habendi sint. — Sed in suspectis versibus retinendis reiciendisve non sufficit iis tantummodo argumentis niti, quæ a sensu pulchri profecta auribus oculisque nostris quam maxime blandiantur. Quod delictum quamquam sæpe commisit Ribbeckius, hoc tamen loco alia quoque argumenta adhibet. Interpolatorem igitur dicit (l. l. p. 130) in eo gravissime errasse, quod eam sententiam, quæ est v. 89, auxilio pronominis coagmentare oblitus sit. At nobis hæc ipsa reiectio verbi eius, quod duas enuntiationes coniungit, inter gravissimas causas numeranda esse videtur, cur hos versus a Iuvenale, non ab interpolatore scriptos esse cre-

damus; si quidem verum est, hoc Iuvenalis quasi proprium esse. Cfr III. 90

miratur vocem angustam, qua deterius nec

ubi iunctura cum iis, quæ præcedunt, reapse desideratur. Aliud exemplum est eiusdem satiræ v. 122

qui gentis vitio numquam partitur amicum,
solus habet.

Alia exempla sunt

ausa Palatino tegetem præferre cubili,
sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos
(VI. 117—18)

si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
est animus (VI. 206—07)

quæ fugit a sexu, vires amat? (VI. 253)

appositam nigræ lunam subtexit alutæ
(VII. 192)

Hæc exempla, quamvis temere collecta, tamen ostendunt, vv. 88—89 sine dubio retineri posse, si contra integritatem hoc solum adfertur, quod cohærentia eorum non satis firma videatur.

Finita ea satiræ parte, in qua de curis et doloribus poetarum sermo est, Iuvenalis v. 98 transit ad historiarum scriptores. Dignæ sunt hæ transitiones, quas observemus. Usitatissimæ sunt apud poetam atque ad orationem eius distinguendam et notandam valde idoneæ. Dum in iis rebus, quas Iuvenalis nobis ante oculos exponit, mentem defigimus verbaque eius omnes nostras

cogitationes absorbent, subita interrogatio inseritur; novus campus se aperit, mox alter; sic poeta animos nostros semper allicere atque excitare studet. In satiris III. et VI. huiuscemodi transitiones sæpe occurrunt; in sat. VII. adhibentur vv. 98, 106, 150, 215. [1]

Ex iis versibus (106—149), qui calamitates causidicorum describunt, unus tantum, quantum video, reiciendus est. Est v. 138

sed finem impensæ non servat prodiga Roma.

Ribbeckio facile assentimur, cum hunc versum vel ob eam causam pro spurio habet, quod, cum et aperta et gravis ironia versuum 135 sqq. sit, v. 138 nil contineat nisi immatura illa præcepta finem impensæ servandi; quæ quam alieno loco dentur, nemo non videat. Simile iudicium Heinrichius, Weidner, al. fecerunt, quam ob rem, cum causas quoque idoneas attulerint, non dubito ad eorum sententiam me applicare, licet supra concesserim, versus Iuvenalis pulchritudinis causa, vel ut sententia plausibilis inde nascatur, ad libitum approbare aut damnare, arbitrio nostro non datum esse; addidi tamen licere, ubi manifestæ causæ approbandi aut damnandi sponte accedant, id quod hoc loco perspicuum esse opinor.

Iam cum poeta transit ad mercedem rhetorum perexiguam sortemque eorum tristissimam, potestatem opti-

[1]) Ea quæ est v. 106, quamquam novam turbam miserorum hominum introducit, tamen proxime pendet a v. 105, qui interrogationem alicuius continet, quem poeta loquentem facit, cuius rei exempla supra vidimus, ut sat. I. (in fine), II. 132, 163, III. 184, V. 135, 166 al.

mam habet artis suæ ostendendæ: neque enim Rupertius sine iure adnotat (l. l. p. 436), præclaram et consummatissimam hanc esse picturam, eique exquisitissimos colores inductos. Poeta, ut facere solet, quo maiorem vim orationi addat, unum vel alterum loquentem inducit et confitendum est, numquam eum meliore successu hoc fecisse quam v. 158:

mercedem appellas? quid enim scio?

Crebras præterea eum exclamationes in hac parte satiræ non vitasse, post ea, quæ supra de consuetudine eius scribendi disputavimus, non mirum est. Ad sententiam melius intellegendam, cum sint, quæ si non obscura at certe primo aspectu dubia videantur, inprimis de v. 171

ergo sibi dabit ipse rudem cet.

pauca dicamus. Non est enim facile, quid sibi velit illa particula, quæ est ergo, extemplo assequi. In iis versibus, qui præcedunt, Iuvenalis dicit sophistas, i. e. rhetores, cum vilissimam mercedem laborum accipiant, raptore relicto (i. e. fictis suasoriis et controversiis relictis) veras lites agitare. Fiunt igitur ex rhetoribus causidici et patroni eorum, qui accusati sunt. Recte eos fecisse, cum ex umbra rhetorica egrederentur, nemo negaverit, minime poeta ipse, qui cur rhetores esse prohiberentur, vv. 158—166 satis dilucide demonstravit. Nihilominus addit vv. 171—73:

ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
consilia et vitæ diversum iter ingredietur,
ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra.

Quæ verba mira videntur, nam poeta ipse suasit, ut rhetores esse quam primum desinerent: iam consilium eius secuti, postquam aliud vitæ genus amplexi sunt, cur sibi ipsi rudem dabunt? Intellegere possumus, cur Iuvenalis ne causidicorum quidem condicionem expetendam censeat; vv. 106—149 vere sine dubio de iis iudicavit, sed hoc loco (v. 171) nobis non statim in mentem venit de illis remotioribus versibus cogitare. Verum enimvero hic substituendi suut, quod nisi faciamus, timendum est, ne inepta aut dura sententia videatur. Aptius tamen verbum, quam illam particulam ergo, poeta adhibere et potuit et debuit, quo argumenta rhetorum, cum se sortem causidicorum præferre dicerent, refutaret. Illa enim particula non placet, sive propriam vim ei tribuimus, sive eam pro enimvero vel profecto poni putamus, quod Rupertius commendat.

V. 181 editores in contextum recipere vulgo nolunt: Ribbeckius futilem eum et obscurum appellat. Quæritur tamen, aliane exempla apud Iuvenalem inveniantur, ubi post interrogationem poeta sententiam generalem, quæ præcedentem quasi uberius explicet, addat. Paulo infra legimus (vv. 199—201).

Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quam
sidus et occulti miranda potentia fati?
servis regna dabunt, captivis fata triumphum.

Qui versus 201 simili consilio additus videtur quo v. 181. Alterum exemplum est VI. 239—41:

scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
atque alios mores quam quos habet? utile porro
filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Multa huiuscemodi exempla monstrari possunt; quæ iam monstravi sufficiant ad comprobandum, v. 181 non esse expellendum, tamquam si a consuetudine Iuvenalis abhorreat. Eum tam præclarum esse, ut non possit desiderari, non contenderim; cohærentia ea verba sunt, quæ antecedunt, cum iis quæ sequuntur, sive v. 181 retinemus, sive tollimus; sed potest sane locum defendere inter eos versus Iuvenalianos, quorum vis in eo præcipue sita est, quod priori interrogationi quodammodo respondeant.

De vv. 190—94, in quibus et anaphoram et asyndeton habemus, supra ad III. 216 disseruimus.

Et Ribbeckius et Heinrichius lacunam esse arbitrantur post v. 205

et hunc inopem vidistis, Athenæ.

Quanta hæc lacuna fuerit, inter eos non convenit: Heinrichius unum saltem versum excidisse putat, Ribbeckius multos (in quibus sermonem de philosophis fuisse credit). Negant posse intellegi, quo referendum sit verbum, quod est hunc, nisi enuntiatio relativa sequatur. Neuter dubitat, quin hoc pronomine demonstrativo Socrates significetur. Quid autem impedit, ne ad Carrinatem pronomen referatur? Unde illud sumit Heinrichius, quod dicit (l. l. p. 308), absurdam rem esse, si hunc, ad ea, quæ antecedant, referre velis? Cfr I. 32—33

lectica Mathonis
plena ipso: post hunc magni delator amici

Cfr. Hor. sat. I. 6. 54

optimus olim
Vergilius, post hunc Varius dixere quid essem.

At, inquiunt, nemo scit, num re vera Carrinas pauper et inops vixerit Athenis ibique se iugulaverit, nam testis ubi est? Ubi: Iuv. VII. 205. Neque enim ob eam causam Carrinatem periisse Athenis negare possumus, quod apud ceteros scriptores nihil de hac re narretur. Si quidem Carrinas, Caligula imperante, in exsilium eiectus est, quod inter omnes constat, potuit Athenis in miseria vivere et mortem sibi ipse consciscere, potuit etiam Romam reverti; utcumque res est, vv. 205—06 nullam præbent difficultatem. Si Romam Athenis rediit rhetor ille, v. 206 de Socrate scriptus est; si Athenis obiit, de utroque eorum. Præterea si verba, quæ sunt et hunc, ad Socratem referamus, sequitur, ut hunc quoque vanæ sterilisque cathedræ pænituerit, quod nescio an inauditum sit.

V. 215 poeta transit ad labores et præmia grammaticorum inter se conferenda. Non est quod diu ad hos versus remaneamus, cum apte compositi sint et nullis impedimentis retardati alter alterum facile excipiant. Extremi versus hi sunt:

hæc, inquit, curas et cum se verterit annus,
accipe victori populus quod postulat aurum

Quæri potest, cuinam hæc verba tribuere debeamus. Credo et parentibus et poetæ. Quamquam enim non inusitatum est, verbum quod est inquit impersonaliter usurpari, cuius rei exempla sunt III. 153:

exeat inquit,
si pudor est

et infra XIV. 153:

quid nocet hæc, inquit, tunicam mihi malo lupinam

tamen perspicuum est, verbis quæ sunt hæc curas, parentes liberorum respici. At iidem parentes addere non possunt ea, quæ v. sq. leguntur:

accipe victori populus quod postulat aurum

vel ob eam causam, quod hæc verba cum aperta ironia dicuntur, parentes autem, quamvis exiguum pretium grammaticis solvant, tamen se nimium dedisse semper arbitrantur:

res nulla minoris
constabit patri quam filius

Poeta igitur ipse, parsimoniam parentum cavillans, verba eorum continuat, cum iubet præceptorem vilissimam mercedem totius anni laborum accipere.

Satira VIII.

Quomodo Iuvenalis, vir tam mirabili acie oculorum præditus, in tanta illa turpitudine atque impudentia conivere potuisset, quibus non minus ii, qui nobili genere nati erant, quam ceteri cives Romani illis temporibus se inquinaverunt? Iam in prioribus satiris vidimus, quale iudicium faceret de moribus æqualium et virorum et mulierum. Qui secundam satiram et sextam perlegit, is profecto non ignorat, quonam illæ viæ duxerint, in quas tunc maxima hominum turba tumultuose profundebatur. Longe lateque illud malum manaverat, tota fere civitas morbo laborabat, qui insanabilis et esse videbatur et erat; cur in hac omnium vitiorum communitate ii soli intacti essent, qui generis nobilitate ceteris præstiterunt? Re vera hi non modo iis non exemplo erant, sed vitiis et corruptis moribus sæpe eos superabant. Sed in rebus notissimis versor.

Non erat, quod Iuvenalis mitiorem se præberet in nobilitatem depravatam quam in alios omnes, quorum scelera et nequitiam vexabat. Itaque videmus eum in sat. VIII. nobiles homines in ius vocantem, sed ita, ut

non modo eos reprehendat, verum etiam iis ostendat, ubi vera nobilitas quærenda sit:

> nobilitas sola est atque unica virtus.

Satira VIII. semper cum iucunditate legetur ab iis, qui domesticas res Romanorum cognoscere velint, quin etiam nonnihil de externis rebus invenient.

Amplam hanc materiam Iuvenalis ita disponit, ut primum demonstret, quam futiles et pusilli animi eorum sint, qui nihil habeant, de quo glorientur, nisi maiores claros et illustres, a quorum virtute ipsi degeneraverint: plus enim valere animi bona quam generis claritatem (vv. 1—38). Deinde poeta iisdem fere verbis ad certum quendam hominem sese convertit, hortans eum, ut ipse aliquid præstet, quo laudem gloriamque inter æquales adipiscatur:

> ergo ut miremur te, non tua, privum aliquid da,
> quod possim titulis incidere præter honores.

Post v. 70 poeta a Rubellio Blando redit ad Ponticum, quem iam in exordio nominavit.

In ea parte, quæ nunc sequitur (vv. 71—145), primum ea consilia repetuntur, quæ iam audivimus:

> sed te censeri laude tuorum,
> Pontice, noluerim sic ut nihil ipse futuræ
> laudis agas. miserum est aliorum incumbere famæ.

Mox poeta transit ad monstrandum, quomodo sese gerere ii debeant, quibus datum sit, ut provinciam administrent. Et quoniam exempla eorum attulit, qui in provinciis ad-

ministrandis se scelere et rapinis abstinere non poterant, in animum inducit plura nequitiæ hominum nobilium exempla colligere, domestica scilicet, cum omnino non opus esset ea foris petere. Itaque Lateranus in scænam inducitur (vv. 146—182), post eum Damasippus (vv. 183—198). Flagitiosissimum autem exemplum est Gracchi, cujus in arena cum secutore pugnæ odio acerbissimo poeta mentionem facit (vv. 199—210). Postremo Nero ipse ante tribunal vocatur (vv. 211—230).

In extrema satira (vv. 231—268) Iuvenalis, quo atrociores ii homines videantur, quos in prioribus versibus nobis ostendit, nonnullos nominat, qui quamvis humili loco orti nomen honestum apud posteros habent. In epilogo (vv. 269—275) redit ad ea, quæ tota satira Ponticum admonuit: nihil interesse summo an infimo loco nati simus, dummodo honeste ipsi vivamus.

Hæc dispositio, quamvis non tam accurata quam ea, quæ in satira septima facta est, tamen laudari potest, maxime quod poeta a materia proposita non longius discedit, quam ut ad eam data occasione reverti facile possit.

Constat præterea plures in hanc satiram impetus factos esse quam in priorem, quæ, ut vidimus, non graviter vituperata est. Quales hi sint infra videbimus.

Sat. VIII. incipit a tot interrogationibus, ut nihil umquam ulla ex parte simile apud Iuvenalem videamus. Proxime tamen ad hoc exordium id accedit, quod in sat. I. habemus. Qui vero Iuvenalem legit, is in huiusmodi interrogationes tam sæpe incidit, ut mirum videri non

debeat, eas hic quoque adhiberi: sed numerus earum mirationem nobis facit.

Neque tamen hæc causa fuit, cur aliquot versus iam in principio satiræ reicerentur; aliæ et graviores editores impulerunt, ut hoc loco correctionem facerent.

Nam ex iis versibus, qui in initio positi sunt, ab editoribus hi vulgo tolluntur:

quis fructus generis tabula iactare capaci
Corvinum, posthac multa contingere virga
fumosos equitum cum dictatore magistros.

Ribbeckius severius agit. Non modo hos versus, verum etiam duos illos, qui antecedunt:

et Curios iam dimidios umerosque minorem
Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem

falso in contextum irrepsisse adfirmat (l. l. p. 95). Non dubium est, quin omnes hi versus facile omitti possint; sententia eorum, qui restant, per se satis perspicua est. Quodsi omnes ii versus, qui salvo sensu abesse possent, ex satiris Iuvenalis segregarentur, non esset difficile eas acriter admodum circumcidere. Lubrica res est, si carmen nobis proponatur, ut quale sit iudicemus, constituere, quid in eo retinendum, quid excludendum sit. Ribbeckius cum ad Iuvenalis satiras iudicandas aggreditur numquam in hac re dubitat, quamquam argumentatio eius non semper probabilis est.

Variæ causæ eum impulerunt ad vv. 4—5 reiciendos. Primum negat quemquam in atrio imagines tot maiorum clarorum ostendere potuisse. Sed unde coicit

has omnes imagines in atrio unius hominis fuisse? Iuvenalis hac in re non unum certum hominem reprehendere videtur, sed universe de iis loqui, qui illis temporibus nimia superbia in generis antiquitate se iactaverunt. Fractas vero et mutilatas imagines hic nominari, et ridiculum esse dicit et ineptum; sed nonne Iuvenalis, cum ipse virtutem solam et unicam nobilitatem esse putaret, contemptim de his surdis fractisque truncis loqui poterat, ut eo magis stultitiam eorum perstringeret, qui de iis tantum gloriarentur? Nihil nobis simplicius aut probabilius videtur.

Quodsi vv. 4—5 retinemus, non sequitur, ut vv. 6—8 probemus. Nam et veræ et gravissimæ eæ causæ sunt, quas adfert Ribbeckius, cur eos pro falsis et interpolatis habeat. Molesta illa iteratio nominis Corvini vel una prohibet, ne eos a Iuvenale scriptos esse credamus. Nam licet ille non vereatur verba sæpe iterare, tamen apud eum nihil inveniemus, quod cum hac iteratione comparari possit.

Restituto igitur exordio satiræ ad ea quæ sequuntur nos conferre poterimus. Quomodo agat Iuvenalis, cum ei materies contigerit, qua et ipse delectetur, quamque ad arbitrium formare nitidisque coloribus distinguere possit, numquam fere melius videbimus, quam in iis versibus, qui inde a principio satiræ usque ad v. 38 pertinent; quos primam partem efficere diximus earum, in quas satiram octavam dividimus. Quæ pars finitur duobus versibus (37—38)

ergo cavebis
et metues, ne tu sic Creticus aut Camerinus,

qui tantam similitudinem præbent cum iis, quibus Iuvenalis in ceteris satiris eiusmodi capita finire solet, ut id silentio præterire non possimus. Sæpe enim, postquam rem propositam altera ex parte tractavit et perpendit, antequam porro progrediatur, per particulam *ergo* unum l. duos versus inducit, quibus ea quæ iam dixit iterum repetit, quo altius penetrent in animos eorum, qui audiant. Infra exemplum habemus vv. 68—69

ergo, ut miremur te, non tua, privum aliquid da,
quod possim titulis incidere

Alterum est v. 209—10

ergo ignominiam graviorem pertulit omni
vulnere cum Graccho iussus pugnare secutor.

In sat. X. hi versus leguntur 54—55

ergo supervacua aut vel perniciosa petuntur,
propter quæ nec fas genua incerare deorum.

Cfr III. 276, VI. 432, IX. 101. XII. 126 al.

Ad eam partem satiræ venimus, ubi poeta monet Rubellium Blandum, ne alto Drusorum stemmate tumeat, tamquam si ipse aliquid fecerit, propter quod nobilis sit. Postquam ei ostendit, peritos et fortes viros humili loco sæpe ortos esse, hæc verba addit, quibus spiritus eius patricios acerrime castigat (vv. 52—55)

at tu
nil nisi Cecropides truncoque simillimus Hermæ.

nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
illi marmoreum caput est, tua vivit imago.

Duos postremos versus Ribbeckius non tolerat (l. l. p. 131), cum sententiam habeant vulgarem et ieiunam et ineptias interpolatoris statim prodant. Tamen tolerari possunt; neque enim nobis deteriores esse videntur quam ii, qui e. gr. sat. VII. 100 sqq. leguntur:

petit hic plus temporis atque olei plus;
nullo quippe modo millensima pagina surgit
omnibus et crescit multa damnosa papyro:

Qui duo loci digni sane sunt, qui inter se conferantur. Si verum est, versus 52—53 sat. VIII. explicationem non desiderare, idem valet de vv. 98—90 sat. VII: nam ibi quoque per se satis festivus versus est 99:

petit hic plus temporis atque olei plus.

Eo magis miror Ribbeckium alterum locum probare alterum emendare.

A Rubellio Blando poeta (v. 71) rursus se convertit ad Ponticum, nam ei omnia ea consilia impertit, quæ in sat. VIII. dantur. Hæc digressio (vv. 39—70) præterea nobis observanda est. Tota satira Iuvenalis Ponticum alloquitur, exceptis iis versibus, quibus medio in sermone Blandum adhortatur, ut veram laudem virtutis concupiscat. Eiusmodi digressio, quæ tamen potius digressio ab eo, quocum iam inde ab initio poeta colloquitur, quam a materia proposita dicenda est, admodum rara est apud Iuvenalem. In sexta satira poeta, quamquam ei cum Postumo sermo est, tamen vv. 76—81 Lentulum alloquitur. Sed et pau-

ciores hi versus sunt quam ii, quos in satira octava respicimus, neque satis constat, verane sint ea, quæ de Lentulo narrantur, an ficta tantum. Utut res est, videmus digressionem apud Iuvenalem fieri posse ab eo, quocum sermonem iam primis versibus instituit.

Eos versus qui nunc sequuntur (71—145), ita disponimus, ut in prioribus sedecim (71—86) varia consilia et admonitiones Pontico dari dicamus, in ceteris (87—145) præcepta, quomodo in provincia administranda agendum sit. Prior illa pars ab altera separatur, ut mos est Iuvenalis, interiectis pauculis versibus, qui sententiam gravem exhibeant, ut hoc loco vv. 85—86.

Dum exponit, quomodo provinciales sint tractandi, et monet,

quam fulmine iusto
et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu,

subito semet ipse corrigit:

sed quid damnatio confert?

Alterum correctionis exemplum vidimus III. 61.

non possum ferre, Quirites,
Græcam urbem; quamvis quota portio fæcis Achæi?

Paulo post nonnullos versus videmus, qui apud omnes editores leguntur; vix opus est addere: Ribbeckio excepto. Sunt vv. 113—126. Nam de duobus, qui antecedunt, non est, quod multa dicam; spurii manifesto sunt. Multas causas adfert Ribbeckius, cur tantum numerum versuum respuat, quarum aliæ admodum probabiles

sunt, aliæ minime aptæ ad nos commovendos. Videamus, quibus potissimum rationibus sententiam suam tueatur.

Hoc quoque loco, ut plerumque apud eum fit, in interpolatorem illum acerrime animadvertit, quem satiras Iuvenalianas omnino deformavisse sæpissime contendit. In quem, cum aliis causis ductus invehitur tum maxime, quod suadeat iis, qui provinciam acceperint, apud eos qui viribus inferiores sint rapinas facere, potentioribus populis parcere. Neque tamen credibile est, tantam vim esse eorum verborum, quæ vv. 113 sqq. leguntur. Hoc dicere potuit poeta, licere iniuria afficere tales civitates, quales essent e. gr. Rhodia, Corinthia cet., vel ob eam causam, quod qui eiusmodi flagitia commisissent pœnas vulgo non darent; numquam tamen hæc verba ita accipienda sunt, tamquam si Iuvenalis æquales ad iniurias et scelera hortatus sit. Quod si facere voluisset, inepta omnia ea essent, quæ de æquitate atque continentia in hac satira antea dicta sunt. Neque ex his versibus (121—122):

curandum in primis, ne magna iniuria fiat
fortibus et miseris

concludere possumus, iniurias in ceteros defendi.

Quodsi re vera verba illa

forsitan imbelles Rhodios unctamque Corinthon
despicias merito

ita nobis accipienda ut scripta sunt? Tum Iuvenalis iniquam, non nego, sententiam dixit, sed causam, qua ductus sit, intellegemus, si ea perlegerimus, quæ sat. III.

60 sqq. de Græculis invisis allata sunt. Fortasse de his Græculis cogitabat, cum de uncta Corintho et de iuventute resinata scriberet.

Deinde Ribbeckius non tolerat verbum, quod est credite (v. 126), quod poeta cum Pontico uno colloquatur. Nihilominus probat v. 181

at vos Troiugenæ vobis ignoscitis,

quamquam vicinus fere versus est 179

quid facias talem sortitus, Pontice, servum?

Quod dicit, mentionem Marii (v. 120) iam I. 49 factam esse et ob eam rem in satiram VIII. falso irrepsisse, facile concedimus magnam esse similitudinem; sed neque tanta est, ut non possit Marius etiam in sat. VIII. vexari, cum præsertim facinora eius notissima fuisse videantur — ut non sit, cur ei parcatur (cfr IV. 1) — neque raro videmus apud Iuvenalem compluribus locis mentionem eiusdem hominis fieri, nam C. Marius e. gr. et in sat. VIII. et X. commemoratur.

Ribbeckius igitur censet, omnes vv. 113—126 delendos esse, ut ceteris consulatur, quod nobis quidem durius esse videtur. [1])

---

[1]) V. 124 Kiærius (l. l. p. 136) retinet, cum in omnibus codd. sit nec contra sermonem Iuvenalianum repugnet. Legit ille tamen:

tollas licet omne quod usquam est
auri atque argenti: scutum gladiumque relinquas,
et iaculum et galeam, spoliatis arma supersunt.

Illud relinquas, quod etiam in codd. est, aptam præbere constructionem docet, quod si ita legamus, enuntiationem condicionalem

Vv. 140—41 sententiam eius generis continent, quod apud Iuvenalem usitatissimum est. Qui versus minime damnandi sunt. Ad transitionem ad ea parandam, quæ de Laterano cet. infra dicuntur, valde idonei sunt. Nam eiusmodi exemplis facile corrumpimur

quoniam dociles imitandis
turpibus ac pravis omnes sumus (XIV. 40—41).

Sic poeta transit ad ea facinora, quæ multos ex nobilissimis illius ætatis hominibus famosos reddiderunt.

Lateranus (vv. 145 sqq.) nocte quidem sufflamine rotam adstringit, mox longius ibit claraque luce flagellum sumet. Damasippus, qui in scæna mimum agit, tamen peior est: Gracchus omnium pessimus. Uterque eo maiorem voluptatem esse putat, quo insignior infamia sit.

Optimam hoc loco gradationem a Iuvenale esse factam videmus: Lateranus artes suas nocte exercebat; Damasippus mimum agens vultum abscondit quidem, sed ita, ut quivis eum agnoscere posset, cum personam induisset, quæ ex parte tantum faciem occultabat: Gracchus nullo scrupulo retardatus, aperto capite

nudum ad spectacula vultum
erigit et tota fugit agnoscendus arena.

---

habeamus, ubi particula, quæ est si, desideretur. Exemplis demonstrat, Iuvenalem, si in sententia primaria præsens sit, in sententia secund. numquam adhibere futurum. Lectio quæ est relinques ergo falsa est. Cfr XIII. 215

ostendas melius — ruga cogitur.

Alia exempla, ubi particula si exponitur, sunt III. 297, X. 141, XI. 15, XIV. 231.

Postremo imperator ipse procedit cum syrmate, persona, cithara:

> res haud mira tamen citharœdo principe mimus
> nobilis.

Cum in sat. II. examinanda versaremur, ibi adnotavimus, post v. 142 sex versus addi, quos e sat. VIII. in secundam furtim irrepsisse suspicabamur. Sine dubio res ita se habet. Eandem rem eodem fere modo duobus locis exponi, iam habet dubitationem. Mentio Gracchi retiarii munere fungentis multo probabilior est in sat. VIII., ubi de vitiis nobilium hominum agitur; Gracchus, qui nudum vultum spectatoribus ostendebat, multo aptius illic inseritur post Damasippum, qui persona indutus agebat, et Lateranum, qui exercitationes suas equestres noctis tenebris occultabat, quam in satiram secundam, ubi mentio eius post nuptias virorum aliena esse videtur

Ribbeckius (l. l. p. 104) dilucide demonstrat, quomodo singuli versus 143—48 satiræ secundæ singulis versibus 200 sqq. satiræ octavæ respondeant. Recte ille quidem; sed cum dicit II. 143 sqq. pravam et ieiunam imitationem eorum versuum esse, quos in sat. VIII. habemus, nescio an nimis severus sit. Neque enim hoc concludere possumus ex ea comparatione, quam inter hos versus instituit; vv. 143—48 ideo secernimus, quod locum male defendunt, non quod deteriores aut male compositi nobis videantur.

His exemplis scelestorum hominum allatis, qui quamquam generis nobilitate æqualibus longe antecellebant,

tamen vitiis atque flagitiis se inquinaverunt, transit poeta ad ostendendum, quanto rectius multi egerint, quorum omnia consilia ad salutem et conservationem rei publicæ spectaverunt. Quod ut eo clarius appareat, transitionem ita facit, ut Catilinam et Cethegum, quorum uterque summa in familia natus erat, inducat; quibus opponitur Cicero

hic novus Arpinas ignobilis et modo Romæ
municipalis eques,

Hi versus (236—68), quibus Iuvenalis laudes summorum virorum prædicat, dum vitia nobilium reprehendit, bene compositi sunt, quamquam poeta fortasse melius fecisset, si eos qui sunt de Servio Tullio (259—60):

ancilla natus trabeam et diadema Quirini
et fasces meruit regum ultimus ille bonorum

amplificasset, ut quem ad modum de ceteris in hac parte satiræ viris allatis, sic de hoc quoque plura nobis dedisset, quam quæ spatio exiguo duorum versuum contineri possunt. Ceterum concedendum est præclara ea esse, quæ scripsit ad gloriam Ciceronis, Marii, Deciorum cet. extollendam.

In epilogo (vv. 269—75) Iuvenalis, ut supra diximus, ea complectitur, quæ tota satira Ponticum admonuit. Quod melius facere numquam potuit quam nobilissimis illis versibus:

malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis Vulcaniaque arma capessas,
quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Brevis est epilogus ut in sat. III et IV. Vehementius hic tamen quam in iis poeta adversarios irridet, eodem fere modo, quo in extremis versibus satiræ sextæ de magno usu mulierum in venenis miscendis loquitur.

Pag. 48 lin. 3 a sum. lege Ribbeckius.

DE ARGUMENTI DISPOSITIONE

IN

SATIRIS IX—XVI IUVENALIS

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM

PERMITTENTE AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM LUND.

P. P.

JOHAN A. GYLLING

PHIL. D:R, SMOL.

IN AUDITORIO VI A. D. VII K. MART.

H. XI A. M.

LUNDÆ MDCCCLXXXIX

TYPIS EXPRESSERUNT MALMSTRÖM ET SOC.

Satira IX.

Formam dialogi a Iuvenale in satiris sæpe adhibitam esse, facile elucebit, si in eas oculos coniecerimus; neque id mirum, nam et ad sermonem variandum et ad argumentum propositum explanatius disponendum ea forma aptissima est. Sed in ceteris satiris, cum non raro inveniantur, qui colloquentes vel cum scriptore altercantes inducantur, tamen per occasionem potius ea colloquia habentur, quo fit, ut forma dialogi a principio satiræ usque ad finem minime servetur. Exemplis omnes eæ satiræ Iuvenalianæ nobis sunt, quæ ante nonam vel post eam leguntur. Qui unum alterumve huius rei exemplum cognoscere velint, eos delego ad I. 150—171, II. 132—135, III. 153—159, VI. 638—642, X. 67—88, XIII. 174—180, XIV. 224—225.

Sed satira nona a scriptore ita disponitur, ut forma dialogi ab initio usque ad finem retineatur. Ea dispositio quo rarior erat ideoque insignior, eo facilius ab editoribus observata et examinata est. Quæ contra ordinem versuum et universam satiræ dispositionem allata sunt, suo loco infra exponemus; hic de iis, qui colloquentes inducuntur, deque eorum colloquio universe pauca præmittimus.

Notum est, in nona satira impudentiam pathicorum hominum et imprimis draucorum vexari, et ita quidem, ut nihil fere restet ad addendum. Miser ille Nævolus, famosus homo, ut videtur, et quodvis genus nequitiæ expertus, acerbissimos dolores, miserias, spes cum Iuvenale communicat: nullam se mercedem laborum accipere, operam se perdere iamque curis et ærumnis pressum occumbere et prope exstingui, queritur; cavillatur cum eo Iuvenalis nec hominem miserum nisi irrita spe consolatur. Ne verbo quidem — ait Ribbeckius [1]) — poeta nequitiam Nævoli reprehendit: credas omnia recte se habere. At tota satira reprehensio satis manifesta est, licet poeta apertis verbis in Nævolum eiusque patronum non invehatur.

Vv. 1—26 verba poetæ continent, qui causam tristitiæ Nævoli explorare vult. Sequuntur vv. 27—90, quos Nævolo tribuendos plerique censent. Nominabimus infra eos, quorum de his versibus aliud iudicium est. Immissa sunt duobus locis (v. 39, 63) verba aliquot sordidi patroni. Post brevem poetæ interrogationem (vv. 90—91) Nævolus querimonias continuat usque ad v. 102, ubi poeta colloquium excipit, uno tenore pergens ad verba Nævoli: utile consilium cet. (v. 124). Ad ea, quæ hic non sine angore quærit (vv. 124—129), poeta iis versibus respondet, qui a 130 incipiunt: ne trepida cet.

Post v. 134 finem dicendi fecerit an plura addiderit, non liquet. Exstat versiculus

---

[1]) O. Ribbeck: Der echte und der unechte Iuvenal, Berlin 1865 p. 112.

tu tantum erucis inprime dentem

lepidus ille quidem nec a iocoso genere dicendi Iuvenalis alienus, sed plerique una mente consentiunt, post verba, quæ sunt spes superest (v. 134), lacunam esse. Quorum sententiam amplecti mihi quoque satius esse videtur: causis locus hic non est.

Vv. 135—150 nullo adversante Nævolo tribuuntur.

In iis satiris, quas antea tractavi [1]), exempla transitionum subitarum non defuerunt. Satira nona, quod ad eius modi transitiones pertinet, cum prioribus comparari non potest vel ob eam causam, quod propter formam dialogi scriptor potestatem non habuit ab una parte argumenti propositi ad alteram transvolandi, cum illa forma orationem extra fines terminosque constitutos egredi non facile patiatur. Atque re vera, si satiram nonam perlegimus, omnia inter se apta et conexa videmus. Sine mora, sine interruptione oratio ex eo fonte profluit, unde iam in primo versu, ubi de tristitia Nævoli sermo est, oritur, atque interrogationibus asperisque facetiis poetæ aucta et incitata animos eorum, qui legunt, adeo devincit, ut, tantum modo ad cavillationem iucundissimam intenti, in turpissimis rebus se versari plane obliviscantur. Hæc est vera illa Iuvenaliana vis et virtus, quæ nusquam clarior elucet quam ubi potestatem turpe et inhonestum irrisione obruendi nactus sit. Sed hæc universe. Transimus ad singulos locos examinandos.

---

[1]) J. Gylling: De argumenti dispositione in satiris I—VIII Iuvenalis, Lundæ 1886.

Orationem quasi uno tenore profluere diximus, nulla mora impeditam. Est tamen in initio satiræ versus quidam, quem si retinemus ordo a me modo laudatus vehementer interrumpatur necesse est. Nam in codice P. post quartum versum hic legitur

nos colaphum incutimus lambenti crustula servo

Cum primum hunc versum videmus, obstupescimus; fieri non potest, ut non obstupescamus. Positus inter Ravolam et Crepereium ille servus mirationem nobis facit. Scholiastes nodum ænigmatis solvere conatur; sententiam, qualiscumque est, extorquet neque tamen istius rei fidem nobis facit. Pinzger, Achaintrius, Heinrichius, ut paucis complectar, omnes fere veteres commentatores versum spurium iudicaverunt, e recentioribus satis erit Ribbeckium attulisse, qui optimis argumentis demonstrat [1]) hunc versum non a Iuvenale sed ab interpolatore aliquo scriptum esse. Consensus doctissimorum hominum sine dubio gravis est; qui si deesset, nihilo minus versum falsum esse asseverare pergerem: nam Iuvenali nusquam usu venit, ut ordinem institutum sententiarum et imaginum tam inepto modo interrumpat.

Silentio non est prætereundum quod Kiærius ad vv. 22—24 adnotat [2]) cum id ad usum scribendi Iuvenalianum illustrandum magnopere valeat. Nam cum alii post Ganymedem comma deleant, alii adhibeant, fit for-

---

[1]) Ribbeck l. l. p. 124—125.

[2]) L. Kiær: Sermonem D. Iunii Iuvenalis cet. Hauniæ 1875 pp. 30—32.

tasse, ut multi utrumlibet liberum esse arbitrentur. Minime liberum est. Commate post Ganymedem posito genus loquendi oritur, cuius apud Iuvenalem nullum aliud exemplum invenitur. Quinque deinceps substantiva (fanum Isidis, Ganymedem, Pacis (palatia), Matris palatia, Cererem) enumerantur, quorum quattuor inter sese particula, quæ est et, coniunguntur, tertium (Pacis palatia) non item; quod apud Iuvenalem inauditum esse Kiærius adfirmat. Quam ob rem commate deleto Ganymedem cum Pacis iungit, etiam alias causas eius emendationis adferens, quas hic explicare longum est.

Interrogatio illa, quæ quasi in parenthesi legitur v. 24:

nam quo non prostat femina templo?

pertinet ad eas formas interrogandi vel potius exclamandi, quæ apud Iuvenalem creberrimæ sunt. Exempla antea multa habuimus, ut I. 48:

quid enim salvis infamia nummis?

II. 8: quis enim non vicus abundat
tristibus obscenis?

III. 234: nam quæ meritoria somnum
admittunt?

VI. 196: quod enim non excitet inguen
vox blanda et nequam?

ib. 568: quid enim maius dare numina possunt?

Quin etiam in ea ipsa satira, de qua nunc sermo est, legimus v. 58:

nam quis plura linit victuro dolia musto?

Adde si vis X. 321, XII. 28, XIII. 153, 234.

Adnotamus hæc exempla, cum apud poetam tam sæpe occurrant, ut quasi proprium aliquod consuetudinis eius scribendi iure dici posse videantur.

A v. 27 igitur Nævolus poetæ respondere incipit. Languidis utitur verbis et remissis: sibi spem nullam esse reliquam, cessasse sidera (Cfr. VII. 194 sqq.), inde miseriæ fontem et originem. Per totam satiram inutili lamentatione fortunam suam complorat, semper de penuria agit:

> quantum erat exhausti lumbos donare clientis
> iugeribus paucis!

et infra: vos humili adseculæ, vos indulgebitis umquam
cultori, iam nec morbo donare parati!

Etiam in fine satiræ, consolationibus poetæ nihil levatus, triste illud addit:

> sufficiunt hæc,
> quando ego pauper ero. Votum miserabile, nec spes
> his saltem!

Vv. 27—90 Nævolo dandi sunt. Priores editores Rupertius, alii, etiam in hac parte dialogum esse contendunt, nihil fere rationis adferentes. Redibimus ad eam quæstionem.

V. 29:

> munimenta togæ, duri crassique coloris

a Ribbeckio non comprobatur tamquam omnino supervacaneus. Sed Iuvenalis eius modi versus amare videtur,

quibus res, quæ commemorentur, ex omni parte possint illuminari. Est hæc copia quædam dicendi, quæ, ut nimis abundans interdum videatur, at certe multum valet ad imaginem rerum distinctius exprimendam. Cfr. III. 26—28:

dum nova canities, dum prima et recta senectus,
dum superest Lachesi quod torqueat, et pedibus me
porto meis nullo dextram subeunte bacillo

Aliud exemplum est VII. 53—55:

sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
communi feriat carmen triviale moneta

Imprimis de vv. 48—49 ambigitur adeo ut a multis pro spuriis habeantur, sed hi versus cohærentiam sententiarum non lædunt. Quamvis enim Nævolus hoc loco ad plures homines quam in iis versibus, qui præcedunt et sequuntur, sese convertat — id quod recte monet Ribbeckius [1]) — non tamen ideo fit, ut hæc paululum mutata sententia, tamquam si a consuetudine Iuvenaliana aliena sit, indigna iudicari debeat, quæ retineatur. Non inusitatum est, Iuvenalem incohatum colloquium interdum abrumpere, dum ad alios se convertit sententiamve admiscet, quæ ad verba explicanda vel ad imaginem adhibitam in clariore luce collocandam apta esse videatur. Satis est unum exemplum duove adferre. II. 77 sqq. poeta in Creticum invehitur, totus in eum conversus, id quod non impedit, ne vv. 79—81 alia de re agat, quæ

---

[1]) Ribbeck l. l. p. 133.

cum eodem Cretico et eius moribus quodam modo cohæreat. VIII. 135 sqq. ii vituperantur, qui in provinciis administrandis nimia severitate utantur, sed ordo sententiarum institutus interrumpitur, si modo est illud ita appellandum, additis vv. 140—141, post quos poeta eosdem quos antea reprehendere pergit. Quam ob rem cum huius modi exclamationes apud eum non parum sæpe inveniantur, non video, cur hoc loco vv. 48—49 adeo molesti dicendi sint. Iam Heinrichius [1]) his verbis exemplum argumenti a maiori ad minus, quod aiunt, adhiberi demonstrat. Ceterum si versus retinentur, multo melius in oculos incurrit, quid inter divitem patronum, munera non dantem sed exspectantem, et miserum clientem intersit; nam vv. 50 sqq. originem ex illa donorum mentione trahere, veri simile est.

Sed non modo vv. 48—49 verum tota illa pars, quæ ex versibus 46—53 constat, scrupulum viris doctis inicit, cum, quid singulis tribuendum sit, valde inter se dissentiant. Rupertium, et cum eo Heineckium, dialogum hic latere suspicari, iam supra diximus. Idem Bogenius iudicat, qui de hoc loco copiose disputat in libello suo [2]). Quod ad versuum dispositionem attinet, vv. 27—47 Nævolo tribuit, tum poetam orationem interpellare censet illa exclamatione, quæ vv. 48—49 legitur; reliquos vv. 50 sqq. Nævolo dat. Quamvis istam sententiam non solus

---

[1]) C. F. Heinrich: Iuvenalis satiræ cum commentariis. Bonnæ 1839, vol. II p. 360.

[2]) W. Bogen: De locis aliquot Iuvenalis explicandis scholiorum ratione sæpe habita. Bonnæ 1849 pp. 1—6.

defendat, ob causam, quam supra attuli, omnia a Nævolo dicta contendere malim. Bogenius vv. 48—49 in Nævolum quadrare negát, maxime quod hic, familiaritate et consuetudine Virronis cotidie fere usus, sordes et avaritiam eius ignorare omnino non potuerit; contra poetam, draucorum mores sese ignorare simulantem, illud exclamare commode potuisse censet. Non nego. Sed observandum est, Nævolum in hac satira nihil antiquius habere, quam ut famam Virronis, patroni sordidissimi, quoquo modo deminuat et commaculet. Se nihil umquam ab eo nisi dona vilissima accepisse, probe scit, licet officium suum, quamvis molestum, numquam deseruerit; quodsi draucus in oblivione iaceat iniustissima, qualem ceteris sortem exituram, qui non amatores sint, sed tantum modo pauperes clientes, nullis secretis vinculis cum patrono coniuncti? Si ipsi spes non sit, quid ceteris? Sic mihi Nævolus, postquam vv. 48—49 iram in Virronem ob avaritiam eius effudit, ad mollitiem eius cavillandam iis versibus, qui sequuntur, optime transire posse videtur.

Tum vero altera quæstio oritur. Neque enim satis constat, utrum v. 53 tractas legendum sit an tractat an tractet. Tractas, quod est in cod. P., retineri non potest. Defendit lectionem Heinrichius per enallagen quandam personarum, quæ tamen ipsi difficultate laborare videtur, si quidem verba eius recte intellego. Subiectum verbi tractas aliud est atque subiectum verbi mittas: ea vero enallage molesta et tortuosa est. Ad veram lectionem restituendam necesse est diiudicare, utrum de veris an

de fictis rebus vv. 50—53 agatur. Si de fictis, coniunctivum tractet legimus, sin de veris, tractat præferimus.

Mores Virronis ita depinguntur, ut eum dona non respuere facile intellegamus. Ea accipere solet natali die (v. 51), neque dubitari debet, quin qui alter Ganymedes esse sibi videatur (v. 47) eo procedat, ut mores muliebris quoque sexus imitari velit. Virro igitur sedens in cathedra Kalendis Martiis munera tractat, sed cum nugarum admodum conscius sit, hæc munera clam accipit (v. 53). Quod ait Bogenius, Virronem id facere non audere, quippe qui et tæter et ætate provectus sit, tæter quidem est, sed de ætate nihil dicitur. Nullam præterea ætatem nugis vacuam esse, modo ad eas animus inclinet, satis notum est. At Nævolus talis est, qui donetur, non qui donet? Ita; eo acerbior cavillatio fit, cum Ganymedem istum munera exspectare dicit, qualia mittere pueris amatores solebant (Cfr. II. 169). Si, quod contendit Bogenius, Virro re vera numquam more matronarum munera K. Martiis accipere solebat, vis versuum 50—53 frangitur: gravior enim et acerbior irrisio est, si ad veram vitam domesticam Virronis accommodetur, quam si in fictas et cogitatas ineptias profundatur.

Schmidtius omnes versus Nævolo attribuit [1]) neque dubitat, quin Virro munera accipere solitus sit. Is vero vv. 48—49 post v. 53 collocat, ut transitio ad ea, quæ sequuntur, melior fiat. Quæ collocatio non prava est neque tamen necessaria, cum Nævolus, avaritia patroni

[1]) A. Schmidt: De locis aliquot Iuvenalis explicandis. Halæ 1851 pp. 20—24.

vv. 50—53 vituperata, æque bene ad ea verba transire possit, quæ sunt

> dic, passer, cui tot montes, tot prædia servas?

Errat præterea Schmidtius, cum verba illa

> et strata positus longaque cathedra
> munera. femineis tractat secreta Kalendis

ad utrumque enuntiatum pertinere dicit, et ad "natalis quotiens redit" et ad "aut madidum ver incipit". Nisi forte constat, Virronem K. Martiis natum fuisse, quæ quæstio difficilis sit ad explanandum.

Non relinquemus hos versus priusquam mentionem de elocutione quadam fecerimus, quæ et hic nobis occurrit quamque in prioribus satiris iam offendimus. Est usus ille particulæ, quæ est en, ad vim eius augendam, quod cum odio et irrisione dicatur:

> en cui tu viridem umbellam, cui sucina mittas!

Quibus verbis poeta quasi in unum ea colligit, quæ antecedunt, antequam ad novam rem transeat vel ad eam, de qua agatur, ex alia parte considerandam festinet. Sic legimus II. 72—74:

> en habitum, quo te leges ac iura ferentem
> vulneribus crudis populus modo victor et illud
> montanum positis audiret vulgus aratris!

ubi Weidner [1]) veram significationem cum falsa confundere videtur. Creticum hic a poeta irrideri, manifestum

[1]) A. Weidner: D. Iunii Iuvenalis saturæ, Leipzig 1873, l. c.

est; habitum non spectat ad tunicam (nudus, v. 71) sed ad multicia ridicula. Sic ironia aperta est. Aliud exemplum invenitur VI. 531:

> en animam et mentem, cum qua di nocte loquantur!

Nævolus, dum avaritiam Virronis reprehendit, hoc quoque exclamat (vv. 56—57):

> te Trifolinus ager fecundis vitibus implet,
> suspectumque iugum Cumis et Gaurus inanis

Varias editores coniecturas fecerunt, cum v. 57 explicare studerent. Tria loca nominantur, unde Virro vinum apportare solebat. Vinum Trifolinum ex Martialis XIII. 114 notum est; vinum Gauranum e Plinio, sed quid sibi vellet illud Cumis suspectum iugum, viri docti non intellexerunt. Rupertius de Vesuvio cogitat, quasi Cumanis post eruptionem anni 79 suspecto; Weidner de alio monte, fortasse de Miseno, loquitur, cuius molem tam altam esse putat, ut cacumina eius Cumani suspicere nisi resupinato capite non potuerint. Heinrichius subiectum legit, i. e. vicinum, nam in urbis vicinitate vinum colebatur, quod Plinius Urbanum appellat. Non ut hanc quæstionem admodum difficilem dissolvam, sed ut parcam lucem tenebris admoveam, versus aliquos adferam, qui mihi Aetnam Lucilii Iunioris legenti in oculos incurrerunt, quique communitatem quandam cum eo loco, de quo nunc sermo est, habere videbantur. Sunt vv. 427—429 [1]):

---

[1]) Aetna Lucilii, in collectione Nisardiana, Paris 1878.

testisque Neapolin inter
et Cumas locus est, multis iam frigidus annis,
quamvis æternum pinguescat ab ubere sulfur

Recte admoneri potest, nihil in his versibus de monte aut iugo dici, sed hoc saltem concedendum est, iure eum locum inter Neapolin et Cumas situm, quamvis diu frigidum, tamen suspectum Cumanis dici potuisse. Quid impedit, ne iugum fuerit, vitibus obsitum — parcis fortasse, id nihil ad rem, nam etiam Gaurana uva parca erat: καὶ ὀλίγος καὶ κάλλιστος.

Nihil apud Iuvenalem sæpius fit, quam ut verba aliqua, non ab eo dicta, quocum colloquium habetur, sed ab alio, cuius fortuita mentio facta est, in mediam orationem inserantur, ut v. 63:

improbus es, cum poscis, ait

quæ verba præterea cum iis, quæ VII. 158 leguntur:

mercedem appellas? quid enim scio?

tam manifesto congruunt, ut id silentio præterire noluerim. Semet ipse igitur quasi iterat Iuvenalis? Sæpe, sed ita, ut nihil offendamur. Non est vitium illud appellandum, neque enim in eundem orbem usque ad satietatem torquemur, sed ut poeta interdum ea nobis ostendat, quæ extemplo agnoscamus, tamen cavere probe scit, ne nimis molesta sit ea repetitio; quod sane cuiusvis non est.

Non mirum est Iuvenalem, qui scholas rhetorum diu frequentasset — ad mediam fere ætatem eum decla-

locis eadem utitur exclamatione. Lædere gaudet, sed non indignos.

necte coronam
postibus et densos per limina tende corymbos (VI. 51—52).

Agitur ibi de nuptiis amici, cui poeta gratulatur: qua de causa, e vv. 50—51 elucet. Similis ea exclamatio est, quæ in eadem satira vv. 78 sqq. legitur. Cfr. VII. 117—118. Magis sincere eandem imaginem poeta adhibet XII. 83 sqq., ubi ob reditum amici laribus sacrificium facere vult.

Transitio, quæ in responsione Nævoli a summa tristitia ad metum improvisum fit post v. 92, aptissima est: totum se miser homo nobis patefacit. Pericula enumerat, quæ sibi immineant, si ea prodat amicus, quæ secreto audierit, inter quæ pericula hoc est (vv. 99—100):

nec contemnas aut despicias quod
his opibus numquam cara est annona veneni.

Ribbeckius hæc verba uncis includit [1]), pleonasmum enim vix tolerabilem esse. Sed talis verborum coniunctio, qualis est contemnas aut despicias, ab elócutione Iuvenaliana minime aliena est. Ut unam tantum ex satiris, sextam, inspiciamus, hæc ibi inveniuntur: hoc volo sic iubeo (v. 223), componunt formantque libellos (v. 244), quem dedit hoc posuitque modum (v. 359), committit vates et comparat (v. 434), repetit volvitque (v. 452), quid faciant agitentque (v. 475), inducitur atque fovetur (v. 471), distendere et vexare uterum (v. 598), nemo

[1]) Ribbeck l. l. p. 134.

repugnet nemo vetet (v. 627). Adde e tertia cum alia tum hæc: hæres et dubitas (v. 135), optes votumque feras (v. 276), dispenso et tempero filum (v. 287). Inter pericula mortis annona illa veneni locum non male defendit. Quod ait Ribbeckius, non omnia venena magno pretio constare, esse etiam vilissima, non est credibile, libidinosum hominem eundemque divitem, si periculum esset, ne probra eius detegerentur, primum quodque venenum ad inimicum tollendum adhibiturum fuisse. Veneficæ pretium flagitabant, non nego, sed rem ad tutum exitum perducebant. Præterea non est necessarium statuere, Nævolum v. 99 se ad amicum convertere, ut quasi e cathedra præcepta ei et monita det, nam verba, quæ sunt nec contemnas aut despicias, universe dicta esse possunt.

Sequitur responsio poetæ, vv. 102—119(—123). Quæ in principio leguntur verba o Corydon, Corydon, ex ecl. Vergilii mutua sumi — morem enim fuisse discipulis rhetorum, ut quantum fieri posset cognitionem optimi cuiusque scriptoris ostentarent — iam ii observaverunt, qui in rhetorica Iuvenalis disciplina adumbranda versantur, ut Strubeus [1]) alii. Ultimi versus 118—123 quo modo legendi disponendive sint, difficillima quæstio est. Operam studiumque in eam viri docti, non sine maxima dissensione, contulerunt. Apud Iahnium [2]) ita leguntur:

vivendum recte est cum propter plurima, tum vel
idcirco ut possis linguam contemnere servi.

---

[1]) E. Strube: De rhetorica Iuvenalis disciplina, Brandenb. 1875 p. 4.

[2]) O. Iahn: Persii Iuvenalis Sulpiciæ saturæ, Berol. 1868.

præcipue cave sis, ut linguas mancipiorum
contemnas; nec lingua mali pars pessima servi;
deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
quorum animas et farre suo custodit et ære.

Vv. 120—123 tamquam spurios uncis includit. Approbat ergo cod. P., in quo v. 119 post v. 118 sequitur, nam in aliis post. v. 123 legitur. Id Iahnius recte statuere videtur; etiam emendatio lectionis tunc est, quæ lectio est in cod. P., laudari potest, nam Iuvenalem pro cum-tum cum-tunc numquam scribere, Kiærius docet [1], qui præterea quid adfirmet, cum eos valde errare dicit, qui lectionem, quæ est tum his, in tunc his (v. 118) mutent, intellegere me non posse confiteor, præsertim cum addat Iuvenalem, etiam si in oratione ordinis atque consecutionis notio insit, et ante vocalem et ante consonantem ubique tunc, non tum, de tempore scribere solere.

V. 119 igitur post v. 118 ponimus, nam si post v. 123 collocatur et languidior est, cum Nævolo tribuendus esset, et emendationem possim pro possis desiderat. Vv. 120—123 spurios esse non negaverim. Quod ad formam attinet, Kiærius observat, imperativum cave numquam apud Iuvenalem corripi; quod etiam de iis imperativis valere videmus, qui apud alios poetas interdum breves sunt, ut habe, vale cet. Cfr. III. 318, V. 118, VIII. 97. Deinde quod dicit Kiærius, particulam ut imperativo cave male subici, recte dicit. Lectio illa

---

[1]) Kiær l. l. pp. 198—199.

Lachmanni, quæ est cave sis, orta est e verbo causis, quod etiam in cod. P. invenitur. Tum scribendum esset:

> vivendum recte est cum propter plurima, tum his
> præcipue causis, ut linguas mancipiorum cet.

Re vera Heinrichium ita scribere videmus; hiatus vero in ultimo pede v. 118 vix ferri potest. Nam iure quærimus, quo modo productio vocabuli tum in hoc hiatu possit explicari. Id nescit Heinrichius, sed nihilo minus hanc lectionem retinet. V. 123 suspectus est propter illud animas farre et ære custodire. Pinzger [1]) sic scribit:

> vivendum recte tum propter plurima, tum his
> præcipue causis, ut linguas mancipiorum
> contemnas: nam lingua mali pars pessima servi.

At quæ sunt hæ causæ? Una tantum nominatur: ut linguas mancipiorum contemnas. Omnino locum vix sanandum puto, nisi remotis vv. 120—123. Causæ graviores accedunt, si internæ, quæ dicuntur, notæ considerantur.

Nam si omnes vv. 118—123 a Iuvenale scriptos putamus, non bene congruit, quantum ego video, ea sententia, quæ est vv. 120—121, cum ea quæ est v. 119. Recte vivendum est cum propter plurima, tum vel idcirco, ut linguam servi contemnere possis. Proinde vive recte et contemne servi linguam. Pergit Nævolus: præcipue cave, ut linguam servi contemnas. Id vero viri

---

[1]) Pinzger l. l. p. 11.

docti idem significare dicunt ac si legatur: præcipue cave ne (l. ut ne) linguam servi contemnas. Sic Teuffelius statuere videtur [1]), sic qui, quod sciam, omnium de hac re recentissimus disseruit, Mosengelius [2]). Sed non licet eas significationes confundere. Contendit hic quidem, verbum contemnendi aliud significare priore loco aliud altero, cum illo notio insit non timendi, hoc notio parvi æstimandi. Id nihil ad rem, cum uterque eorum cave ut idem significare ac cave ne contendere videatur. Quod si ita est, contrarium illud est, quod monet Nævolus vv. 120—121, illi, quod paulo ante monuit: contemne linguam servi — cave ne parvi æstimes linguam servi. Iam in angustias compulsi sumus; e quibus non prius nos expedire poterimus, quam verbis, quæ sunt cave ut contemnas, aliam significationem dederimus: cave, ut contemnere possis, stude contemnere, vive ita ut contemnere possis. Utcumque res est difficile erit intellegere, quænam ratio inter hos versus et ea quæ sequuntur, deterior tamen hic cet., intercedat. Opponi quodam modo hæc iis, quæ antecedunt, Ribbeckius suo iure asseverat [3]).

Vahlenius versus eos, de quibus iam disputamus, hoc modo emendat et disponit [4]):

vivendum recte est cum propter plurima, tunc est
idcirco ut possis linguam contemnere servi

[1]) Teuffel in Mus. Rhen. XXI p. 155.
[2]) G. Mosengel: Vindiciæ Iuvenalianæ, Lipsiæ 1887, p. 27.
[3]) Ribbeck l. l. pp. 112—113.
[4]) Vahlen: Vindiciæ Iuvenalianæ. Index lect. Berol. 1884.

præcipue. Cave sis tu linguas mancipiorum
contemnas: nam lingua mali pars pessima servi.
deterior tamen hic cet.

Retinet igitur lectionem codicis P., quod vix licet ob eas causas, quas supra attulimus. Quod ut et nec ita emendat, ut pro illo tu, pro hoc nam scribat, bene facit. Si quidem ulla huic loco medicina debet adferri, Vahlenius admodum bonam præbet. Sed verba, quæ sunt tunc est, non removentur, et corripitur cave, et retinentur vv. 122—123, qui non modo verborum, verum etiam, quod haud scio an gravius sit, sententiarum difficultate laborant.

Cum non amplius opinio eorum, qui cum Teuffelio arbitrantur, duplicem recensionem satirarum a poeta ipso factam esse, satis firmis argumentis fulta esse videatur, vix opus est ad eam recensionem confugere, si, quo modo vv. 120—123 in contextum irrepserint, explicare velimus. Adversantur Teuffelio, Weidnero, aliis, multi et docti viri, quorum hic opiniones persequi longum est. Imprimis Mosengelius non sine successu argumenta Teuffelii refutat. Atque Vahlenius ad vv. 118—123: duplicis autem, inquit, recensionis, quæ vocatur, qua posita horum versuum difficultates quæ videbantur expediri posse rati sunt, nec hoc loco nec ullo in his satiris indicia apparent. Simile fere iudicium Schoenaichii [1]) est, qui in ea parte libelli, quæ est de duplici recensione, adversarios convincere probe scit. Hoc tantum confitetur, si

[1]) G. Schönaich: Quæstiones Iuvenalianæ, Halæ 1883.

quod umquam in satiris Iuvenalianis vestigium duplicis recensionis inveniatur, hoc loco, de quo nunc sermo est, inveniri. Sed ne hoc quidem statuere necesse est. Minimeque omnium credendum est, Iuvenalem, si, ut est in Vita, in exsilio satiras ampliaret, post vv. 118—119 in margine eos versus addidisse, qui nunc ante v. 124 leguntur, tamquam si digni essent, qui cum prioribus compararentur.

In responsione Nævoli (vv. 124—129) nihil reperimus, quod obscurum sit. Id non valet de iis versibus, qui illos excipiunt. Vv. 133—136 vulgo sic scribuntur:

altera maior
spes superest
hæc exempla para felicibus; at mea Clotho
et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.

Lacuna est post v. 134. Adversatur Friedlaender, quod mirum mihi videtur. Nævolus vv. 135—136 his fere verbis utitur: ista exempla in me non quadrant; ego non tantum requiro, modica condicione contentus ero. Si quidem responsio congruere debet cum iis, quæ responsionem elicuerunt, lacuna est inter v. 134 et v. 135. Neque enim ulla spes a poeta proposita est nec ulla exempla allata, quibus sollicitudinem Nævoli levet. Manifestum est, poetam post v. 134 aliquid dixisse de draucis, quorum res et fortunæ patientia et impigro labore ampliores factæ sint; ea omnia Nævolus vindicare non potest, cum in tota satira se ad miseriam, non ad vitam beatam natum esse queratur. Qui in nonnullis codd. sequitur versiculus

> tu tantum erucis imprime dentem

mirum quantum acerbam illam cavillationem resipit, cuius apud Iuvenalem usum tam late patere videmus, sed ad difficultatem tollendam non sufficit. Neque lectio codicis P.:

> gratus eris: tu tantum erucis imprime dentem

ex angustiis nos expedit; obstant nihilo minus Nævoli verba: hæc exempla para felicibus cet.

Cohærentiam viri docti alii aliter defendere conati sunt. Buecheler [1]) vv. 133—134 sic legit:

> alter amator
> gratus erit

Quod sine dubio ieiunum solatium est: nam si ita scribimus, poeta Nævolum consolatur spe feliciores æmulos inveniendi.

Schulzius legere vult [2]):

> altera maior
> spes superest: tu tantum erucis imprime dentem.
> gratus eris. tu tantum erucis imprime dentem.
> hæc exempla para felicibus.

Omnes igitur lectiones codd. comprobat. Sed manet illa interrogatio: quid sibi vult v. 135 (hæc exempla cet.) Schulzius de gratia magnæ beatæque amicæ (ut I. 39) cogitare videtur, quæ coniectura nullam nobis

---

[1]) F. Bücheler: Coniectanea de Silio Iuvenale Plauto aliis poetis lat. Mus. Rhen. XXXV. 1880.

[2]) W. Schulz: Quæstionum Iuvenalianarum capita tria. Berol. 1885.

opem fert. Omnino facere non possum, quin poetam in iis versibus, qui perierunt, de divitiis quorundam draucorum aliquid dixisse suspicer. Tum Nævolus vv. 135—136 bene respondere potest, se non immoderatum esse sed parvo præmio contentum.

Ad vv. 146—147:

sufficiunt hæc,
quando ego pauper ero

Kiærius adnotat [1], traditam nobis loci scriptionem vix veram esse. Post verbum, quod est hæc, maiore signo interpungendum esse arbitratur, post ero punctum in signum interrogationis mutandum. Verba quando ego pauper ero respondere confirmat verbis quando ego figam aliquid? (v. 139). Votum miserabile non ea appellat, quæ præcedunt, sed unum illud: quando ego pauper ero? (i. e. quando viginti milia fenus cet. habebo?) Cupit igitur Nævolus pauper fieri, aliam scilicet huic verbo significationem tribuens. Addit Kiærius, poetam, si verbis, quæ sunt quando ego pauper ero, causalem vim attribuere voluisset, verbum pauper non tertio versus loco sed, ut maiore pondere efferretur, primo fuisse positurum: pauper quando ego ero. Quæ argumentatio minuta est. Nam si tertiam satiram inspiciemus, simile exemplum v. 21 habebimus. Ibi quoque quando idem significat atque quando quidem, sed neque honestis (v. 21), neque minor (v. 23) insignem locum tenere videmus, quamquam hæc ipsa verba non sine aliquo pondere

---

[1]) Kiær l. l. pp. 55—56.

efferuntur. Quod dicit pro tempore presenti, quod est sufficiunt, poetam scribere debuisse sufficient, cum in proximo versu ero sequatur, non credo Nævolum v. 146 de futuro tempore cogitare: hæc, inquit, sufficiunt, plura hodie exoptare nolo, cum horum nihil accepturus sim. Sic nihil prohibet, ne futurum tempus verbi ero cum præsenti tempore verbi sufficiunt coniungamus [1]).

[1]) Ceterum non desunt exempla, e quibus eluceat, apud Iuvenalem præsens tempus una cum futuro adhiberi, ut V. 87: qui adfertur — olebit, VI. 439: turba tacet nec præco loquetur, al.

Satira X.

Usque ad hunc locum solo quod aiunt firmo institimus. Iam omnia mutantur. Venimus enim ad decimam satiram, primam earum, quas Ribbeckius a Iuvenale abiudicat. In exercitationibus declamatoriis versabimur, in levi et futili dicendi genere, Iuvenale prorsus indigno et ad verum auctorem, cuius in rhetorum umbraculis officina quærenda est, revocando. Hæc est sententia Ribbeckii, falsa illa quidem, ut opinor, et firmis fundamentis orbata. Nihilo minus argumentationem eius ad eos, qui audiant, pelliciendos magnam vim habere, negare non ausim; fallit nos vir doctissimus summo ingenii acumine: omnibus accitis artificiis, quæ ad persuadendum idonea sint, captat lectores, obstringit, detinet. Sed quo accuratius hi iudicia et argumenta eius perpendunt, eo melius ea arbitrio eius potius quam veritate sæpe niti intellegunt. Proprium est enim Ribbeckii ad suum arbitrium multa conformare, quæ eius modi solutam pertractationem minime patiantur. Quo factum est, ut sententia eius in dies magis oppugnaretur, etiam ab iis, qui primo eam, ut non amplecterentur, at certe non improbabant. Iam turba adversariorum magna

est. Multi nostris temporibus libri vindiciæ Iuvenalianæ inscribuntur [1]).

Neque ii, qui hos libellos composuerunt, integritatem Iuvenalis satirarum sine causa defendere student. Sive enim elocutionem respicimus, sive argumentum ipsum, maiorem inter priores et posteriores satiras similitudinem intercedere videbimus, quam ut illas tantum a Iuvenale, has ab imitatore scriptas esse contendamus. Nisi forte, quod monet Weiseus, interpolatorem istum tam diligenter et tam feliciter Iuvenalem imitatum esse credas, ut interpolata a genuinis discerni non possint.

Non de omnibus versibus satirarum X—XVI hoc valere, facile concedo. Re vera in iis multa videmus, quæ, etiam si a Iuvenale abiudicanda esse non videantur, tamen a sollemni eius dicendi genere quodam modo abhorreant. Sed ne hæc quidem sufficiunt, si inde argumenta sumere velimus, quibus Ribbeckium recte iudicasse probemus. Cuius de sententia verba Iahnii [2]) omnino mea facio: dubia acute movisse Ribbeckium agnosco, sed remedium quo utitur vel ideo displicet, quod omni probabilitate caret. Quamquam enim in rerum natura haud raro vere fieri videas, quæ narratu non probabilia sint, tamen in omni arte, quando raro evenit ut quid verum sit certis argumentis evincas, omni modo adnitendum est

---

[1]) B. Lupus: Vindiciæ Iuvenalianæ, Bonnæ 1864; O. Meinertz: Vind. Iuvenal. Regim. 1866; P. Doetsch: Vind. Iuvenal. Monast. 1870; R. Weise: Vind. Iuvenal. Halis Sax. 1884; G. Mosengel: Vind. Iuvenal. Lipsiæ 1887 cet.

[2]) O. Jahn in præfatione editionis 1868 p. 10.

ut probabilitate persuadeas. Quam nisi assecutus fueris, qui tandem verum a te inventum esse ut credatur postulabis?

Ribbeckium verba illa, quæ in Vita IV leguntur: in exsilio ampliavit satiras et pleraque mutavit, plurimi facere, iam alio loco demonstravimus [1]). Sed mirum videtur, doctissimum virum tantam vim his Vitis tribuere, cum fides earum summo iure in dubium possit vocari. Nam præter illud, quod in iis de exsilio Iuvenalis legitur, nihil fere habent, quod mentione dignum sit, ut de ipso exsilio, quale in iis commemoretur, sileam. Vita I Iuvenalem in Aegyptum iam octoginta annos natum venisse confirmat. Scriptor Vitæ IV de exsilio Aegyptio memoriæ prodit, tamquam si Domitiano imperante hoc factum sit. In Vita V est, poetam non in Aegyptum sed in Britanniam venisse. Sed hæc prætereamus, neque enim Vitarum auctoritas tanta est, ut ex iis aliquid pro certo statuere liceat. Ea vero, quæ in iis narrantur, maiore ex parte ex ipsis satiris hauriri potuisse, quod monent et Weiseus et qui ante eum scripserunt, Kempfius et Strackius, non facile concesserim.

Differentiam igitur, quæ est inter priores satiras et posteriores, non cum Ribbeckio ita explicare possumus, ut de duobus scriptoribus cogitemus. Quæ attulit Friedlaender [2]), ea ex aliqua parte approbari possunt, non tamen ex omni. Is censet, Iuvenalem a. 67 natum esse (XIII. 17 non Calvinum sed Iuvenalem notari) atque

[1]) J. Gylling l. l. p. 3.

[2]) L. Friedländer: Darstellungen a. d. Sittengesch. Roms III[5] pp. 458 sqq.

ad satiras componendas post a. 107 accessisse, cum ad mediam fere ætatem eum declamasse constet. Primum librum satirarum intra annos 107—116 editum, secundum 116—117 (Cfr. VI. 407—412 de stella crinita et de terræ motu a. 115), tertium 118—121 (Cæsarem enim VII. 1 esse Hadrianum), quartum 121—127, quintum post a. 128 (Cfr. XIII. 17 et XV. 27; Iuncus consul erat a. 127). Iuvenalem mortem obiisse putat a. 147 atque exsulem fuisse iam Domitiano imperante. Quæ omnia si ita sunt, quæritur, quo modo Friedlaender eam differentiam, quæ inter satiras I—IX et X—XVI est, si poetæ dicendi genus attendas, explicare velit. Fervida priorum et vehemens oratio est, posteriorum nuda et summissa: neque causam huius rei satis intellegimus, si omnes deinceps satiras, nulla mora interposita, scriptas et editas esse arbitramur. Longius temporis spatium inter satiras tertii et quarti libri intercessisse videtur, quam quod a Friedlaendero concessum est. Nihil quod sciam impedit, ne satiræ VII, VIII, IX ante scriptæ sint, quam secundus liber ederetur, i. e. ante a. 116. Weidner ita coicit [1]), facile ei assentior. Cum vero Cæsar VII. 1 Hadrianus sit, Friedlaender, ut supra vidimus, in annum 118 differt editionem libri tertii. Esto, sed non sequitur, ut etiam eo anno conscriptus sit. Hoc Friedlaender ipse concedit, initium satiræ septimæ quasi præfationem, a poeta inter edendum additam, a reliqua satiræ parte segregans, quam antea confectam esse non negat.

---

[1]) Weidner in præfat. satirarum § 16.

Quæ nunc disputavi, ea non ita proposita sunt, ut a me desciscere viderer, cum et de æqualitate et de differentia inter priores satiras et posteriores loquerer. Magna est enim differentia, sed etiam magna æqualitas, quam si differentia maiorem appellem, haud scio an recte iudicem. Differentia in eo cernitur, quod sermo non amplius acris et vehementis viri est, sed philosophi ætate provecti et usu edocti et ob eam causam sedate placideque de rebus humanis iudicantis. Nescimus, quos dolores, quas fortunæ vicissitudines poeta perpessus sit, antequam spiritus illos feroces animique acerbitatem tam insperata mitigatione leniret. Quamquam multa sunt, quæ levet dies. Fortasse ad senectutem poetæ etiam hoc accessit, ut in exsilium mitteretur. In coniecturis versamur. Postremas vero satiras in exsilio scribi potuisse, ne ii quidem negant, qui cum Friedlaendero et Hermanno [1]) Iuvenalem iam a Domitiano patria pulsum esse confirmant.

Temporis igitur non nimis breve intervallum inter duo genera satirarum ponendum est. Genera dico, quasi unum cum altero nihil commune habeat; peto ut ne male illud verbum interpretentur, qui legant. Utrum exsilium in id intervallum cadat necne, posterius videbimus. Iam ad propiora veniamus.

In satira decima Iuvenalis de votis, quæ vulgo faciunt homines, scribere instituit. Ostendit ea maxima ex parte vana esse et inepta, quam ob rem ipse in fine

[1]) C. F. Hermann: D. I. Iuvenalis satirarum libri quinque, Lipsiæ 1879, præf. p. V.

satiræ, quid optandum sit, exponit. Quamquam in erroribus castigandis telis acutis irrisionis more suo uti non dubitat, tamen, cum hac satira docere potius quam inimicos exagitare studeat, fit ut oratio non tam concitata aut aspera sit quam in prioribus satiris. Sed harum quoque esse, de quibus, quod ad orationem pertinet, idem fere valeat, iam Lupus observavit [1]).

Argumentum satiræ decimæ a Iuvenale hoc modo disponitur. Quinque sunt vota, quæ imprimis libero et sapienti homine indigna censet. Nam aut potentiam eos exoptare demonstrat, aut eloquentiam, aut laudem imperatoriam, aut vitam longam aut formam corporis egregiam. De potentia agit vv. 56—113, de eloquentia vv. 114—132, de laude imperatoria vv. 133—187, de senectute vv. 188—288, de formositate vv. 289—345. Maximam igitur partem poeta senectuti dat, sine dubio quod ipse, quippe qui et senex esset et multa expertus, præ aliis suadere civibus posse sibi visus est, hoc deorum donum non esse magnopere expetendum. Vv. 346—366 pulcherrimis verbis exponit, quid hominibus optandum sit.

Illa partitio sua se sponte nobis offert. Singulis locis singula vitia commemorantur nec transit ab altero ad alterum poeta, priusquam rem propositam ex omni parte examinavit.

Difficiliores ii versus sunt, qui inde ab initio satiræ usque ad v. 56 leguntur. Prooemii loco haberi possunt,

[1]) B. Lupus l. l. p. 46: idem valet etiam in satiris VII et VIII, quarum utraque commentatio potius est per otium excogitata, quam satira ex ardenti indignatione atque ira oriunda.

nam universe de votis ridiculis hominum poeta loquitur, sed tamen ita, ut præter nonnulla, quæ infra accuratius exponit, qualia sunt vota potentiæ (quæ respici potest v. 7), laudis imperatoriæ (vv. 8—9), eloquentiæ (vv. 9—10), etiam earum rerum mentionem faciat, quarum postea cura non occupatur, ut virium corporis (vv. 10—11), divitiarum (vv. 12—27). Quæ tamen omnia in prooemio locum defendere possunt, sed mirum est, poetam tamquam pretereuntem in principio breviter de divitiis dicere, non eam quæstionem una cum ceteris, quæ deinde sequuntur quæque maximam et gravissimam satiræ partem efficiunt, tractare. Sed iam universe de votis perversis agitur. Itaque duo illi philosophi, Heraclitus et Democritus, v. 28 inducuntur, qui de suis temporibus non minus questi sunt, quam decimæ satiræ scriptor de vitiis suorum æqualium. Iuvenalis in temporibus illorum philosophorum cum sua ætate comparandis usque ad finem prooemii occupatur.

Quod ad dispositionem attinet, magna est similitudo inter decimam satiram et septimam vel tertiam. Transitiones in his omnibus admodum subitæ tunt, quod tamen vitio poetæ dandum minime est. Immo credo id genus transitiones, quæ præterea apud Iuvenalem non modo in tertia satira et septima, quas maxime ob similitudinem posui, verum etiam in multis aliis inveniuntur, aptissimas esse ad ea efferenda, quæ poeta memoriæ eorum, qui audiant, graviter inculcare cupiat. Sic magis viva oratio fit imaginesque, quæ ex improviso deteguntur, melius et oculis et mentibus percipiuntur.

Quæ cum ita sint, mirationem sane facit, multos et doctos viros omnem fere a Iuvenale facultatem argumenti disponendi abiudicare. E quibus satis sit Iahnium adferre, cuius verba [1]) hæc sunt: sane anceps iudicium est, præsertim in eo poeta, qui certum ordinem et accuratam disponendi rationem contemnit et ea, quæ propria romanæ saturæ est, libertate sermonem familiarem grata neglegentia fundendi vel ingrata neglegentia abutitur. Simile iudicium Bergmueller facit [2]): laudo, inquit, Teuffelium (Stud. u. Charakteristiken pp. 410—434) saturarum poetæ dispositionem, utpote non benigna ingenii vena præditi, ieiunam appellantem.

Vv. 1—55 igitur tamquam prooemium præmittuntur. Dicas totius satiræ argumentum vv. 8—9 exponi:

> nocitura toga, nocitura petuntur
> militia

Huius satiræ exordium simillimum est ei, quod in sat. XI legitur. Nam X. 2—5:

> pauci dinoscere possunt
> vera bona atque illis multum diversa, remota
> erroris nebula. Quid enim ratione timemus
> aut cupimus?

poeta significat se de erroribus hominum disputaturum, deinde interrogationem inserit, qua, cum nemo assentiri non possit, verba illa confirmentur. Sic in exordio sat. XI:

---

[1]) O. Jahn, in præf. ed. alt. p. 9.

[2]) L. Bergmüller: Quæstiones Iuvenalianæ, Erlangæ 1886, p. 5.

Atticus eximie si cenat, lautus habetur,
si Rutilus, demens. Quid enim maiore cachinno
excipitur vulgi quam pauper Apicius?

Interrogatio illa confirmat ea, quæ antecedunt, et in iis poeta ostendit, quid sibi tractare proposuerit. Addamus eius modi interrogationes, a verbis quid enim incipientes, adeo usitatas apud Iuvenalem esse, ut eius quasi proprium aliquod iure dici possint. Produnt scriptorem, disciplina et præceptis rhetorum imbutum, nam ut rhetores discipulos orationem variare et mutare, sic eos certis quoque figuris certisque verborum compositionibus orationem distinguere docebant, quo factum est, ut eadem verba sæpius quam par esset repeterentur. Multa id genus exempla apud Iuvenalem leguntur, quo in genere etiam interrogatio illa rhetorica nominanda est, quæ a verbis quid enim, quis enim, incipiens, ea quæ antecesserunt tam manifesto confirmat, ut omnis negandi copia excludatur. Cfr. I. 48, II. 65, VI. 196, 300, 568, VII. 158, 199 cet.

Et quoniam sermo in rhetoricam Iuvenalis disciplinam incidit, ad v. 12 paululum moremur. Exemplum est amplificationis, qualis rhetoribus sæpissime usu venit. Sic etiam apud Iuvenalem non raro adhibetur in omnibus satiris, et in iis, quas germanas Ribbeckius appellat, et in iis, quas exercitationes declamatorias redolere dicit. Hoc tamen loco parva et exigua est, maior et magis elaborata in iis exemplis e satiris II et VIII sumptis, quæ supra attulimus. Aliud exemplum institutionis rhetoricæ est v. 43:

da nunc et volucrem, sceptro quæ surgit eburno

Illud da pro adde positum esse, quod apud Iuvenalem multo sæpius usurpetur, Bergmueller adnotat [1]), locos nonnullos enumerans, ubi verba, quæ sunt adde et, vel adde quod, ad orationem continuandam novos versus inducunt (XII. 49, XIV. 114, XV. 47). Eadem vi particula, quæ est præterea, sæpe adhibetur.

Si Iuvenalis totam satiram in separatas partes dividere voluisset, et certe voluit, quod vv. 56, 114, 133, 188, 289, 346 satis ostendunt, optimam potestatem habuisset de periculis divitiarum multa monendi inde a v. 23:

prima fere vota et cunctis notissima templis
divitiæ

qua in parte satiræ de Longino, de Seneca, de Lateranis et multis aliis plura addere et potuit et debuit. Sed carmina eius talia nobis accipienda sunt, qualia ad nos pervenerunt. Iam illa ad Heraclitum et Democritum transitio non apta est; aptior fuisset, si mentio eorum ante mentionem divitiarum facta esset, atque si, quod diximus, poeta ita de divitiis, quem ad modum de potentia, de eloquentia cet., dicere voluisset. Hoc magis observandum mihi videtur, quam quod dicit Ribbeckius [2]) difficile esse ad intellegendum, quid sibi velit illud: de sapientibus alter (v. 28) aut, quod infra sequitur (v. 34): urbibus illis, cum nihil antea de Abderis aut Epheso

---

1) Bergmüller l. l. p. 31.
2) Ribbeck l. l. p. 50.

relatum sit; sermonem esse de iis urbibus, quæ duobus philosophis notæ essent, nemo non intellegit.

Ribbeckius poetam reprehendit [1]), quod vv. 28—32 nimiam similitudinem habeant cum loco quodam in scriptis Senecæ. Iuvenalem vero sæpenumero verbis et sententiis uti, quæ ab aliis mutuatus esse videtur, notum est. Satis id illustraverunt, qui in ea quæstione diiudicanda versati sunt [2]).

V. 37 a Rupertio damnari referimus, cum is hoc loco de pompa triumphali consulis agi censeat; re vera non de consule sed de prætore sermo est, neque pompa triumphalis sed pompa circensis respicitur; credibile enim vix est, Iuvenalem cum victore consule cavillari, sed pompam circensem prætoris, quæ odiosa erat spectantibus (Cfr. Heinrichium a. h. l.) irridere potuit. V. 37 igitur non damnandus est. Vv. 41—42 parenthesin efficiunt, ut etiam aliis locis in satiris. Cum eo exemplo id potissimum conferas, quod est V. 64—65, ubi, quem ad modum hic, ea quæ præcedunt confirmantur:

> quippe indignatur veteri parere clienti
> quodque aliquid poscas et quod se stante recumbas

Eodem modo scriptum est XIII. 26—27:

> rari quippe boni, numero vix sunt totidem quot
> Thebarum portæ vel divitis ostia Nili

Inter ea, quæ hac in satira Ribbeckius vituperat, etiam est v. 46:

---

[1]) Ribbeck l. l. p. 20.

[2]) Strube l. l. pp. 2—10, Weise l. l. pp. 18—27.

defossa in loculis quos sportula fecit amicos

Neque enim defossam sed depromptam sportulam amicos fecisse. Quod genus pugnandi leve mihi et inutile esse videtur. Sportula, non gratia aut mutua animi adfectio, amicos fecit; hoc caput est. Quæ sportula defossa sit in loculis an ex iis deprompta, parvi refert. Idem valet de v. 53, ubi illud: mediumque ostenderet unguem displicet Ribbeckio, qui digitum mavult. Quasi sententia versus, ut nunc legitur, obscura sit.

Iuvenalem cum rem propositam satis perpendisse sibi videatur, non porro progedi solere priusquam unum alterumve versum addiderit, quibus ea quæ dixit quasi in unum colligat, notum est et a me alio loco iam demonstratum [1]). Eius modi sententiæ per particulam ergo sæpe inducuntur. Cfr. VIII. 37—38:

ergo cavebis
et metues, ne tu sic Creticus aut Camerinus

Aliud exemplum est VIII. 68—69:

ergo, ut miremur te, non tua, privum aliquid da,
quod possim titulis incidere

Cfr. VI. 432—433, IX. 101, XII. 126—127 cet.

Si igitur poeta duobus versibus, simili consilio scriptis, prooemium satiræ decimæ finit, id bene congruit cum ea ratione, qua sæpe in argumento disponendo uti eum videmus. Re vera hi versus post v. 53 inveniuntur,

---

[1]) Gylling l. l. p. 103.

sed quo modo legendi sint, magna est dissensio inter viros doctos. In cod. P. hoc modo scribuntur:

> ergo supervacua aut perniciosa petuntur,
> propter quæ fas est genua incerare deorum

Quæritur probabilemne sententiam sic scripti efficiant. Optimam sane; nam et ea, quæ antecesserunt, more Iuvenalis breviter comprehenduntur, et additur versus, qui perversitatem hominum votorum facetis verbis illudit. Nihilo minus lectio codicis probari vix potest, nam hiatus ille post supervacua nimium molestus est. Solus, quantum scio, Heinrichius hanc lectionem retinet.

Reliquorum iudicium mirum quantum discrepat. Doederleinius post aut particulam vel inserit:

> ergo supervacua aut vel perniciosa petuntur,
> propter quæ fas est genua incerare deorum

Apta sane coniectura, ad quam, ceteris examinatis, infra redibimus.

Emendatio Lachmanni:

> ergo supervacua aut vel perniciosa petantur:
> propter quæ fas est genua incerare deorum?

non probabilis est, cum et lectio cod. P. plus quam opus est mutetur, et addito signo interrogationis facile adducamur, ut Iuvenalem omnino precibus deorum tutelam expetere alienum putare credamus, quod iis valde repugnat, quæ infra vv. 354—362 leguntur.

Madvigius et cum eo Iahnius scribunt:

ergo supervacua aut vel perniciosa petuntur:
propter quæ fas est genua incerate deorum.

Ea emendatio iam a Iongio refutata est [1]), qui censet, Iuvenalem non hoc loco sed in fine satiræ suadere, quid hominibus exoptandum sit. Recte ille quidem, sed cum v. 55, etiam si incerate legimus, cum ironia quadam scriptus sit, poeta eo loco non ex animo istam adhortationem adhibet. Mihi quidem nihil esse videtur, cur infinitivum in imperativum mutemus.

Buecheler legit [2]):

ergo supervacua aut quæ perniciosa petuntur?
propter quæ fas est genua incerare deorum?

Nihil attinet e verbis v. 54 interrogationem efficere. In eius modi sententiis Iuvenalis ea, quæ exposuit, interrogatione comprehendere non solet atque hoc sane loco mirum esset interrogare, num homines supervacua aut perniciosa peterent. Id eos petere e prioribus versibus satis apparet.

Neque ea coniectura probanda est, quam capit Maior [3]):

ergo supervacua aut vel perniciosa putantur,
propter quæ fas est genua incerare deorum

Ea verba tolerari possent, si v. 55 sic scriberetur:

---

[1]) W. de Ionge: Adnotat. in sat. D. I. Iuvenalis, Groningæ 1879 p. 79.

[2]) F. Bücheler: Coniectanea (Mus. Rhen. XXXIV (1879) p. 355).

[3]) I. B. Mayor: Iuv. X. 54—55 (Journal of philology VIII. (1879) p. 272.)

propter quæ mos est genua incerare deorum

Si fas est retinetur, prava oritur sententia: ea, quæ fas sit a diis precari, supervacua et perniciosa esse putanda, quod recte monet Friedlaender [1]). Sed cum addit idem, non posse hos versus neque cum prioribus neque cum posterioribus apte coniungi, quod vitium præterea usitatum in carminibus Iuvenalis esse declarat, illud ei assentiri nolo, minime hoc loco, ubi cohærentia mihi manifesta esse videtur.

Sed utcumque versus legimus, gravissima quæstio est, possitne hæc sententia propter ea, quæ antecedunt vel sequuntur, defendi. Quæ antecedunt non impediunt; vv. 54—55 apte positi sunt ad ea omnia comprehendenda, ut mos est Iuvenalis. Neque iis repugnant, quæ sequuntur; quo modo possint, cum poeta v. 56 transeat ad ea vota accuratius examinanda, quæ in prooemio tantum breviter attigit?

Si igitur conclusio illa, quæ vv. 54—55 continetur, ab oratione Iuvenaliana minime aliena est, quæritur quo modo versus scribi debeant. Lectionemne cod. P. comprobare audemus?

ergo supervacua aut perniciosa petuntur

Offendit hiatus, non audemus. Nam quod dicit Heinrichius, eius modi hiatum non nimis rarum esse, apud Iuvenalem certe rarus est. Is adhibet hiatum:

---

[1]) L. Friedländer: Bericht über die Litteratur zu den röm. Satirikern für d. J. 1879—1881 p. 65 (Bursians Jahresb. IX. 1881).

I. 151: ingenium par materiæ? unde illa priorum
II. 26: si fur displiceat Verri, homicida Miloni
III. 70: hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis
V. 158: quis melior plorante gula? ergo omnia fiunt
VI. 274: in statione sua atque exspectantibus illam
„ 468: incipit agnosci, atque illo lacte fovetur
X. 281: bellorum pompa animam exhalasset opimam
XII. 36: testiculi, adeo medicatum intellegit inguen
XIV. 49: sed peccaturo obstet tibi filius infans
XV. 126: hac sævit rabie imbelle et inutile vulgus.

Sæpe igitur; sed ubique ita, ut vocalis in thesi longa sit, nusquam ipsa brevis et thesi tantum modo producta. Necesse est lectionem mutemus. Optime id fieri mihi videtur, si cum Doederleinio post aut particulam, quæ est vel, inseramus. Sic amplificatio quædam est in his verbis: supervacua aut vel perniciosa. Atque in versu sequenti irridet poeta stultitiam eorum, qui tam pravis precibus deos fatigent.

A v. 56 disquisitio incipit de lubrica illa et præcipiti via, quæ sæpe ad summam potentiam, sæpius ad summam miseriam ducit. Atque confitendum est sane, si hæc satiræ pars ab imitatore Iuvenalis scripta sit, tam prope imitatorem ad exemplum suum accessisse, ut differentia fere nulla sit. Imprimis hoc de vv. 56—90 valet, ubi mors Seiani magna arte commemoratur. Quid? Non Bauer statuere vult, Iuvenalem iam Tiberio imperante vixisse, ob eam causam, quod, nisi tum vixisset, ita de morte Seiani scribere non potuisset?

De distributione versuum viri docti inter se dissentiunt. Heinrichius: multi, inquit [1]), rumore et tumultu exciti, inter se sermocinantur. Noverunt quidem famosum Seianum, neque tamen qualem exitum habuerit satis sciunt: hinc crebræ illæ interrogationes, dum alter ab altero aliquid audire vult. Pone domi laurus cet. verba poetæ sunt, usque ad. v. 67 loquentis. Tum enim aliquis ex spectatoribus eum his verbis interpellat: quæ labra — quo teste probavit (v. 70). Respondet, sine dubio poeta: nil horum — a Capreis. Prior ille tum dicit: bene habet, nil plus interrogo. Verba quæ sunt: sed quid turba Remi — panem et circenses (v. 81), poetæ sunt. Tum alii spectatores loqui pergunt, unus: perituros audio multos, alter: nil dubium. Quo modo Heinrichius reliquos versus inter colloquentes dispertire velit, nescimus, cum de ea re nihil adnotaverit.

Eadem fere est divisio a Iahnio facta. Is quoque vv. 65—67 poetæ attribuit, sed reliquos versus inter duos tantum homines dividit, non ut Heinrichius inter complures. Præterea partes dialogi eædem apud Iahnium sunt atque apud Heinrichium.

Utraque ratio dialogi explicandi displicet Kiærio. qui aliam viam ingreditur [2]). Dialogum esse dicit inter duos homines, poetam ipsum, gravem et constantem hominem, inconstantiam plebis salse irridentem atque exagitantem, et hominem de plebe, anxium, curiosum, trepidum, omnes interrogationibus vexantem. Eius verba

---

[1]) Heinrich l. l. II. pp. 386 sqq.

[2]) Kiær l. l. pp. 128—131.

esse: quæ labra — quo teste probavit; bene habet — turba tremens (Remi); perituros — multos; pallidulus — dominum trahat. Responsa illorum verborum a poeta reddi. Atque in ipsa verborum forma hanc distributionem inesse, Kiærius confirmat; alterum enim ubique, alterum nusquam prima verbi persona uti.

Ut, quid ipse censeam, paucis explanem, primum omnium manifestum est vv. 65—67 a poeta dici. Agnoscimus verba illa, irrisionis plena, quæ iam aliis locis, ut VI. 51, 78 cet., audivimus. Reliquorum versuum distributio non facilis est, fortasse ne necessaria quidem. Satis est scire, sermones eorum respici, qui, postquam supplicium de Seiano sumptum est, domum redeunt; id quod illa verba (vv. 88—89) ostendunt:

hi sermones
tunc de Seiano, secreta hæc murmura vulgi

Vv. 67—70 uni homini tribui possunt, possunt et duobus. Non magni momenti est, neque est, cur coniecturas de eius modi rebus faciamus. Quæ sequuntur: nil horum — a Capreis, responsum continent. Cuiusnam? Alicuius de plebe sine dubio (Cfr. v. 88). Bene habet — interrogo, verba sunt eius, qui supra interrogavit: quæ labra cet. Quæ deinde sequuntur: sed quid turba — panem et circenses, mea quidem sententia non spectatoribus sed Iuvenali ipsi danda sunt. Utitur hac occasione in medios sermones ea inserendi, quæ de mobilibus animis vulgi sentit; occasio exoptata profecto se obtulit. Inter breves et curiosas spectatorum interrogationes locus

huic parenthesi esse potest, quia cogitationes scriptoris continet; ipsis spectatoribus male attribuitur, nisi forte celeres eorum et fervidos sermones subito flaccescere velis. V. 81 hi sermones continuantur, iam fortasse inter duos senatores [1]). Nam homo de plebe dicere vix potuit: meus Brutidius, neque credendum est, Aiacem ei notum fuisse, neque servos habuit (v. 87). Alter dicit: perituros — multos, alter respondet: nil dubium — fornacula. Prior pergit: pallidulus cet. Credo, ut Kiærius, post fornacula puncto esse distinguendum. Ceteri versus usque ad 88 utrum ad unum an ad plures pertineant, diiudicari vix poterit. Parvi refert.

Totus ille de Seiano locus præclarus est recteque monet Kiærius, orationem poetæ tam vividam esse, ut omnia oculis cernere videamur. Sunt etiam quæ similitudinem habeant cum aliis locis Iuvenalianis quæque nos cogant cum Ribbeckio dissentire, cum in declamatorem invehitur. De lauro sacrificioque supra dictum est. V. 70 multum commune habet cum VI. 219—220; v. 84 conferri potest cum VII. 115. Aiacem illum (v. 84) eundem esse atque Tiberium, negari non potest. Is qui loquitur se timere fatetur, ne Aiax poenas exigat; Aiax igitur iratus est et placari debet. Itaque senator ille, si modo senator est, amico suadet, ut secum currat ad Cæsaris hostem pedibus calcandum. Sic putat se iram Cæsaris (Aiacis) optime restinguere posse. Alii aliter

---

[1]) Ribbeck l. l. p. 6.

hunc locum explicant. Thomasius [1]) credit victum Aiacem non pro Tiberio positum esse, sed aliquem ex amicis Seiani respici, qui, cum scelerum eius socius fuisset iamque se ab amicis deseri videret, non contemnendus iis inimicus fieri posset. Itaque credit, senatores illos mortuum Seianum vexasse, ut et Tiberius voluntates eorum cognosceret et ipsi, si nomina eorum ab irato amico ad Tiberium delata essent, haberent quo se defenderent. Sed multo simplicior altera illa explicatio est.

Cum Strubeus Weiseusque dicunt, Iuvenalem in satiris suis sæpe memorem fuisse illorum scriptorum, quos apud rhetores legisset, exemplisque hoc confirmant, omnibus iis locis allatis, qui cum ceteris scriptoribus aliquid commune habere videntur, unum omittunt, quod v. 96 invenitur:

et qui nolunt occidere quemquam
posse volunt

Vix est dubium, quin Iuvenalis, cum hoc scriberet, de verbis Ciceronis cogitaverit: in qua (servitute) etiam si non sit molestus dominus, tamen est miserrimum posse, si velit [2]). Cfr. vv. 125—126. Orationes Philippicæ manibus discipulorum rhetorum tritæ erant. Quæ sequuntur vv. 97—98:

sed quæ præclara et prospera tanti
ut rebus lætis par sit mensura malorum

---

[1]) P. THOMAS: Note sur Juvénal X. 84—85, Revue de philol. VIII. (1884).

[2]) Orat. Philip. VIII. 12.

emendationem Heinrichii non desiderant, qui tantum pro tanti legit et locum ita explicat: quæ præclara sunt, ea quoque prospera, dum modo mensura malorum ne sit maior. Sed Iuvenalis ea, quæ vulgo præclara et prospera habentur, omnino non comprobat: quæ præclara et prospera tanti sunt, ut mensura malorum par sit rebus lætis? Semper enim mensura malorum in his præclaris et prosperis rebus maior est. Quam ob rem suadet hominibus, ut præclara ista et prospera, qualia sunt potentia cet., tamquam pestifera fugiant. Ad constructionem cfr. VI. 178—179.

Cæsar v. 109 circuitione quadam nominatur. Ea forma Iuvenalis sæpe utitur: I. 20, 25, II. 125, III. 91, 137, 139, XII. 4, XIII. 185. Weiseus exempla omnia Iuvenaliana enumerat [1]), omisit tamen XVI. 6.

Totam eam partem satiræ, quæ est de periculis potentiæ et dominationis, poeta more suo finit sententiam addendo, quæ verba aliquot generatim usurpata continet.

Iam ad eloquentiam transit (vv. 114—132). Iuvenalem Demosthenis et Ciceronis mentionem hic facere Ribbeckius vituperat, non quod erraverit poeta, nam vera sunt quæ commemorat, sed Ribbeckius omnino non potest probare, exempla ex historia petita longe alia apud Iuvenalem atque apud declamatorem illum esse, quem posteriores satiras composuisse adfirmat. Apud Iuvenalem enim ea maxime exempla nominari, quorum apud cives

---

1) Weise l. l. pp. 35—36.

memoria nondum obliterata esset, contra amare declamatorem omni cogitatione vetera repetere maximeque in antiquis fabulis temporibusque remotissimis versari. Ipsi tamen concedendum est, non omnia exempla in satiris X—XVI antiquitatem redolere, esse etiam recentiora. Hæc omnia non nego, sed res explicari facile potest. In posterioribus satiris philosophus potius quam castigator ille loquitur; Iuvenalis non ut antea in scelera notissima æqualium invehitur, sed de erroribus generis humani quid sentiat universe exponit; sic monendo, sic instituendo magis magisque tamquam a foro in vitam domesticam recedit; his studiis, his cogitationibus occupatus, propiora e conspectu amittit, remotiora quærit.

Vix igitur opus erat, Ribbeckium tanta diligentia omnia ea exempla enumerare, quæ a philosopho non e triviis et vita cotidiana, sed ex annalibus veterum Romanorum et Græcorum sumpta sunt. Præterea non obliviscendum est, Iuvenalem in scholis rhetorum institutum esse. Mirum esse potest, si huius institutionis vestigia in scriptis eius apparent?

Eandem circuitionem, quam ad v. 109 adnotavimus, v. 125 invenimus. Tum poeta ad Demosthenem transit. Nemo negare potest, et hunc et Ciceronem apte induci ad ea comprobanda, quæ demonstrare poeta vult. Quod vv. 130—132 de patre Demosthenis narrat non verum est, cum is filium ad rhetorem non miserit; puer enim septem annos natus patrem amisit. Qui error Ribbeckio non diu latuit. Irridet ob eam causam poetam, quasi hic error tantus sit, ut non possit

ei condonari. Quid Iuvenalis ipse de eius modi erroribus?

sed vos sævas inponite leges,
ut præceptori verborum regula constet;
ut legat historias, auctores noverit omnes
tamquam ungues digitosque suos; ut forte rogatus,
dum petit aut thermas aut Phoebi balnea, dicat
nutricem Anchisæ, nomen patriamque novercæ
Anchemoli, dicat, quot Acestes vixerit annis,
quot Siculi Phrygibus vini donaverit urnas!

Sequitur (vv. 133—187) ea pars, quæ est de cupiditate laudis imperatoriæ. Vim quandam in his versibus inesse, non nego: maiorem etiam in ea parte, quæ est de senectute: tota fere satira decima laudanda est et ob argumentum ipsum et ob argumenti dispositionem.

Ad v. 138 Weidner observat, tria illa adiectiva ad induperatorem pertinere, nullos tamen imperatores Romanos commemorari, sed tantum Hannibalem, Alexandrum, Xerxen. Recte observat, sed tamen Iuvenalis suorum civium non plane oblitus est. Non hoc loco eorum mentio fit, sed paulo infra v. 273:

festino ad nostros

Ibi Marius et Pompeius inducuntur, quorum ægritudines poeta nobis ante oculos ponit. Itaque si contendere volumus, Iuvenalem vv. 133—187 non omnia ea nobis dare, quæ v. 138 promiserit, tamen, cum totam satiram finierimus, fidem eum servasse concedemus. Servavit sine dubio exempla Marii et Pompei, ut iis in ea parte satiræ uteretur, in qua miseriam senectutis

describeret. Si quis igitur ægre fert, quod Romani duces inter Græcos et barbaros desiderentur, contentus sit, cum duos ex iis, non modo quod militaris gloriæ cupidi fuerint verum etiam quod ad nimiam ætatem pervenerint, in miseriis versantes infra videat.

V. 146 a Pinzgero reicitur [1]) tamquam frigidus, tamquam de trivio sumptus, tamquam nihil continens. Retineri potest, nam Iuvenalis non tantum dicere vult, sepulcra iniuria temporum deleri, verum ea quoque fato obnoxia esse:

fata regunt homines

Ille versus (IX. 32) hoc loco sic amplificatur, ut ii, qui gloriæ cupidi sint, post mortem ne in sepulcris quidem suis splendidissimis tuti esse dicantur: fata regunt homines, regunt etiam monumenta eorum. Quare vanitas horum hominum sic multo magis perstringitur.

Crebra subiecti mutatio est vv. 151—153:

additur imperiis Hispania, Pyrenæum
transilit. opposuit natura Alpemque nivemque:
diducit scopulos et montem rumpit aceto

Nulla tamen inde ambiguitas oritur. Iter Hannibalis ex Hispania in Italiam describitur, sed audacem imperatorem sine ulla difficultate sequimur, licet et natura et, quod Ribbeckius contendere videtur, poeta ipse variis impedimentis nos in via retardare studeant. Nam illa subiecti mutatio non difficilior est quam ea, quæ in satira sexta vv. 595—598 usurpatur:

[1]) Pinzger l. l. p. 12.

tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
quæ steriles facit atque homines in ventre necandos
conducit. gaude infelix — — nam si distendere vellet cet.

in quibus et puerpera et venefica et maritus vicibus subiecti funguntur. Cfr. I. 155:

pone Tigellinum: tæda lucebis in illa
qua stantes ardent, qui fixo pectore fumant
et latum media sulcum deducit harena [1])

Multo difficilior alter ille locus est VI. 233—236:

illa docet missis a corruptore tabellis
nil rude nec simplex rescribere, decipit illa
custodes aut ære domat, tunc corpore sano
advocat Archigenen onerosaque pallia iactat

Multa vestigia orationis declamatoriæ in hac parte satiræ, ut par est, indagari possunt. Interrogatio illa usitata, a verbis quis enim? incipiens, est v. 141. Alteram v. 147 habemus. Magnitudo Karthaginis grandibus verbis extollitur vv. 148—150; Hannibal loquens inducitur v. 155, deinde exclamatio poetæ sequitur vv. 157—158, ei simillima, quæ VI. 255 sqq. legitur:

quale decus, rerum si coniugis auctio fiat,
balteus et manicæ et cristæ crurisque sinistri
dimidium tegimen, vel si diversa movebit
proelia, tu felix, ocreas vendente puella!

Interrogationes exclamationesque crebriores fiunt:

---

[1]) Sunt enim, qui ita legant. Rectius tamen deducit in deducis mutandum est, vide R. Beer: Spicilegium Iuvenalianum, Lipsiæ 1885 pp. 14, 36.

exitus ergo quis est? (v. 159)
ille tamen qualis rediit? (v. 179)
sed qualis rediit? (v. 185)
o gloria! (v. 159)
i demens et sævas curre per Alpes,
ut pueris placeas et declamatio fias! (vv. 166—167)

Præclara sane verba. Inveniuntur similes exclamationes aliis quoque locis:

i nunc et iuvenis specie lætare tui (X. 310)
i nunc et dubita (VI. 306)
i nunc et ventis animam committe (XII. 57)

Sub finem interrogationes cumulantur:

quid? non et stigmate dignum
credidit? huic quisquam vellet servire deorum?
sed qualis rediit? (vv. 183—185)

Versus 187 a Weidnero respuitur, qui se Heinrichio assentiri adfirmat, immo reprehensione eum facile exsuperat. Sed nihilo minus versum retinendum esse assevero.

Nam si totum hunc de magnis ducibus locum paulo diligentius examinamus, poetam ab altero imperatore ad alterum numquam transire videmus, nisi additis aliquot verbis, quibus maiorem vim et gravitatem iis attribuit, quæ antecesserunt. Finita de rebus gestis Hannibalis enarratione, hoc addit:

i demens et sævas curre per Alpes,
ut pueris placeas et declamatio fias!

Alexander deinde subito inducitur; versibus de illo finitis, hæc adduntur:

mors sola fatetur,
quantula sint hominum corpuscula!

Iam Xerxen in scænam introducit poeta, nulla alia transitione adhibita, nisi sententia illa, qua versus qui sunt de Xerxe ab iis separantur, qui sunt de Alexandro. Atque post vv. 173—186 similem sententiam iure exspectes; immo eo maiore iure, quod hic non modo ii versus, qui sunt de Xerxe, finem capiunt, sed tota illa de magnis imperatoribus pars satiræ. Nihil vero apud Iuvenalem usitatius esse quam eius modi sententias generales, plus semel demonstravimus. Re vera quem quærimus exstat versus. Est. v. 187:

has totiens optata exegit gloria poenas!

Cfr. VI. 626:

tanti partus equæ, tanti una venefica constat!

XIII. 208: has patitur poenas peccandi sola voluntas [1])

Hoc de dispositione constituto, antequam progrediamur, aliquid addamus, quod declamatorem, quem hanc

---

[1]) Quamquam supervacaneum videri potest, duo versus accedant, qui apud alios quidem scriptores leguntur, sed magnam ex omni parte similitudinem præbent cum iis, quos supra posui. Alter est notissimus ille (Verg. Aen. I. 33):

tantæ molis erat Romanam condere gentem!

Alter Lucret. I. 101:

tantum religio potuit suadere malorum!

satiram composuisse aiunt, si Iuvenalis non sit, at certe in una re plane ei consensisse demonstret.

Neminem fugit quanto ardore quantaque ira Iuvenalis in Græculos invisos ubique invehatur. Satis est, qui curiosi sint, ad satiram tertiam remittere, quæ odio et invidia abundat. Sine dubio hos Græculos nimia severitate iudicat. Seduli erant et impigri, semper attenti, quo modo quæstus sibi constituerent; infidi fortasse et falsi, sed tamen meliores, quam apud Iuvenalem finguntur. Utcumque est, Iuvenalis ex intimo animo eos despexit. Atque ut sibi constet, in decima satira iis non parcit. Notamus hos versus:

quidquid Græcia mendax
audet in historia (v. 174)

et madidis cantat quæ Sostratus alis (v. 178)
magno si quidquam credis Homero (v. 246)

Cfr. XIV. 240: si Græcia vera

XV. 117: ut iam quæ carmina tradunt
digna fide credas

Nullam aptam aut consuetudini Iuvenalis scribendi consentaneam sententiam fieri, nisi mutato signo interpungendi (v. 176), Kiærius docet [1]). Interpungi solet post vocem mare. Tum vero trium membrorum (velificatus Athos — quidquid Græcia audet — mare constratum) a voce creditur pendentium, ultimum per asyndeton additum est (quod, ubi præcedentia copulative iuncta sint, apud Iuvenalem nusquam fieri, doctus vir

---

[1]) Kiær l. l. pp. 87 sqq.

docet). Comma igitur post credimus, non ante, ponendum est.

Sequitur (vv. 188—288) ea pars, in qua poeta de miseriis senectutis disserit; quas miserias tamquam ipse expertus vividis coloribus depingit, satis diu in iis commorans, cum maximam satiræ partem expleant. Poetam finem et modum transire, quivis facile intellegit, nam lætæ viridisque senectutis exemplis plane omissis, tristia tantum modo et sollicitudinis plena animadvertit. Tamen et verum et gravissimum sæpe illud est, quod monet, ut etiam concedendum est, multa ex iis, quæ de senibus disputat, adeo iocosa esse, ut risum vix teneamus.

Dispositio eadem fere est atque in vv. 133—187. Ut in iis, sic in his quoque iam in primo versu argumentum exponitur. Quod præterea in tota satira diligenter observatum videmus. Cfr. hos versus:

quosdam præcipitat subiecta *potentia* magnæ (56)
eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis (114)
bellorum exuviæ, truncis adfixa tropæis (133)
da *spatium vitæ,* multos da, Iuppiter, annos (188)
formam optat modico pueris, maiore puellis (289)

Quem ad modum poeta vv. 133—187 primum de vanitate gloriæ universe agit, deinde ad exempla, i. e. ad imperatores ipsos, transit, sic vv. 188—288 primum eas miserias generatim examinat, quæ senectutis propriæ sunt, antequam ad notissima illa exempla veniat, quæ inde a v. 246 enumerantur. Extremi versus 286—288 hanc satiræ partem apte concludunt, dissimulanter, opinor, illi quidem sed sententia bona est, cum senibus

parum beatis scelerati homines, sed ob exitum felices appellandi, opponantur.

Omnino si satiram decimam perlegimus compositionemque eius accuratius perpendimus, fieri non potest, ut summa non adficiamur miratione, cum hac de re apud Bergmuellerum hoc iudicium inveniamus: in quam (compositionem satirarum) si diligenter inquiris, paucas tantum saturas (si vis, III. IX. XI. XII.) imagines suaves appelles præcipua poetæ arte fictas conformantis materiem variam ad subtilius consilium animo conceptum; in reliquis omnibus simplicem declamatoris Iuvenalis rationem deprendes, cuius vestigia in tertia quoque apparent, qui sæpissime argumenta graviora leviora excipere transitionibus sane ieiunis aperte significat [1]).

Subtilius consilium animo conceptum. Deest, inquit, in hac satira: at est in paucis. Profecto, si hic deest, concedo me nescire, quo modo in ceteris esse possit.

Usus particulæ nam (v. 204) observandus est. Bergmueller, qui de usu huius particulæ pp. 29—31 et bene et copiose disserit, dicit [2]) se de hoc loco (X. 204) infra disputaturum. Sed, quantum video, hoc oblitus est, nam in iis paginis, ubi de occupatione agit, ad quod genus hoc exemplum pertinere dicit, explicationem eius frustra quæras. Ellipsis est. Opponuntur inter se gaudia et oblivio. Gaudia vini cibique senex non sentit, nedum altera illa propter longam oblivionem [3]).

---

[1]) Bergmüller l. l. p. 15.

[2]) ib. p. 31.

[3]) Cfr. Kiær l. l. p. 157. E v. 205 credo veram lectionem VI.

Interrogationes rhetoricæ non desunt:

anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
canities? quid quod merito suspecta libido est,
quæ venerem adfectat sine viribus?
(vv. 207—209).

Cfr. vv. 210—215, amplificationem v. 232, reditum, qui est v. 265, transitionem v. 309 cetera, quæ ad genus declamatorium pertinent.

Illam per nunc cum imperativo vel coniunctivo ad ea, quæ sequuntur, factam transitionem declamatoriam esse, non negaverim. Sed invenitur et in posterioribus satiris (ut X. 43, XVI. 35) et in prioribus (ut III. 268, VII. 36), ut non declamatoris illius propria, Iuvenali ignota, dici possit. Neque insolita est interrogatio illa a verbis quid quod (v. 208) incipiens. Cfr. III. 86, 147, VI. 45.

Inter alia, quæ in satira decima a Ribbeckio reprehenduntur, etiam hoc est [1]), quod non modo insulsa sit verum etiam plane confusa ea enumeratio, quæ vv. 220—266 legitur. Sane non sunt pulchra hæc exempla, sed magis insulsa, quam alia, quæ apud Iuvenalem passim adferuntur, non dicenda sunt. Neque ordo confusus est, quod Oppia v. 220, Maura v. 224 nominatur. Si Maura ab Oppia separata est, hoc eo compensatur, quod cum Hamillo coniungitur.

---

326 restitui posse. In cod. P. est hirnea, quod nullam sententiam habet. Hernia scribendum puto. Hernia idem est atque ramex. Nestoris hernia incendi possit: apta imago, si cum X. 205—206 conferatur.

[1]) Ribbeck l. l. p. 40.

De incommodis eorum, qui formosi sunt, vv. 289—345 agitur. Non sine arte; nam ita argumentum disposuit poeta, ut, quod gravissimum esset, maximeque ad persuadendum idoneum exemplum, ultimum poneret. Postquam Messalinæ cum Silio nuptiæ commemoratæ sunt, postquam nequitia coniugis imperatoris concisis verbis, breviter et aperte demonstrata est (ad infamiam eius notandam hi versus callide inseruntur:

hæc tu secreta et paucis commissa putabas:
non nisi legitime vult nubere)

postquam notissimum illud omnibus, qui legebant, exemplum, ex historia Romanorum sumptum, est allatum, finem poeta facit ob eam causam, quod longius ire non potest. Quod enim aliud exemplum melius esset, quo verbis suis fidem faceret? Sic eum in satira secunda, Gracchi cum cornicine nuptiis enarratis, plura pravitatis et nequitiæ virorum exempla non addere, alio loco ostendimus [1]) cum istis nuptiis tamquam fastigium vitiis impositum esse, neque omnino illo loco vv. 143—148 defendi posse diceremus.

Orationem strictim attingamus. Interrogationes sunt vv. 290, 302 (nota forma), 321 (eadem forma), 324 (duæ deinceps; nova enim persona more Iuvenalis subito inducitur). Usus particulæ, quæ est præterea (v. 300), conferri potest cum VI. 107. Nota verborum iunctura est v. 310. Duobus locis in hac satira versus ita collocati

---

[1]) Gylling l. l. pp. 17, 109.

sunt, ut magna inter eos similitudo intercedat. Alter locus est vv. 324 sqq:

quid profuit immo
Hippolyto grave propositum, quid Bellerophonti?
erubuit nempe hac ceu fastidita repulsa

Alter est vv. 108 sqq:

quid Crassos, quid Pompeios evertit et illum,
ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
summus nempe locus nulla non arte petitus

Quin etiam utroque loco sententia generalis additur (vv. 328—329 et 112—113). Quæ similitudo præterea multis aliis locis deprehendi potest. Nam, ut unum tantum exemplum adferam, quis non videt, quam arte hi versus (316—317):

necat hic ferro, secat ille cruentis
verberibus, quosdam moechos et mugilis intrat

sese ad eos versus applicent, qui VI. 479—480 leguntur:

hic frangit ferulas, rubet ille flagello,
hic scutica, sunt quæ tortoribus annua præstent

V. 323: deterior totos habet illic femina mores

ab Heinrichio quasi languidus respuitur; Iahnius, Ribbeckius, Weidner cum eo faciunt, Hermannus non item. Languida sententia sit necne, in disceptationem vocari potest; verba: totos habet illic femina mores, cum iis apte conveniunt, quæ supra Iuvenalis de moribus mulierum multis locis disputavit; maiorem mihi scrupulum verbum, quod est deterior, inicit. Quid enim eo opus

est? Si Catulla deterior est quam Oppia, eam libidinibus indulgere, non mirandum est. Non hoc, opinor, dicere voluit Iuvenalis; id tantum significat, nullam feminam, si sit libidinosa, cupiditati resistere posse. Sententia verborum: totos habet illic femina mores, sine ulla difficultate intellegi potest, potuit tamen elegantius exprimi. Versum spurium puto. Ad vv. 328—329 cfr. VI. 284—285.

V. 335 ex ritu pro et ritu legendum esse, Kiærius monet [1], ne ultima sententia: veniet cum signatoribus auspex, per asyndeton post duas sententias copulative iunctas posita esse videatur. Nam in quattuor membrorum iunctura asyndeton apud Iuvenalem non rarum esse, docet; accedit quod, mutatione illa facta, verborum tempora ita disponuntur, ut in prioribus membris præsens (sedet, sternitur), in posterioribus, quæ per asyndeton adduntur, futurum (dabuntur, veniet) adhibeatur.

Ille locus vv. 337—338:

> hæc tu secreta et paucis commissa putabas:
> non nisi legitime vult nubere

similis est alteri, qui V. 156—157 est:

> forsitan inpensæ Virronem parcere credas:
> hoc agit, ut doleas.

Epilogi loco vv. 346—366 adduntur. Splendida sane oratione poeta, quid ipse de votis ac precibus hominum sentiat, nobis patefacit. Hæc tam excelsa,

---

[1]) Kiær l. l. p. 74.

hæc tam magnifica cum nullo alio loco Iuvenaliano comparo, nisi cum eo, qui est in quinta decima satira, ubi poeta de mutuo illo amore, qui generi humano a diis datus est, loquitur. Finit epilogum his versibus:

nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
nos facimus, Fortuna, deam cæloque locamus

Heinrichius lectionem, quæ est abest, præfert: male enim illud habes deam respicere, quæ non nominetur nisi in proximo versu. At illud habes non pertinet ad Fortunam; poeta enim se convertit ad eos qui legunt. Sic altera difficultas ab Heinrichio indicata, latine non dici, deum numen habere, tollitur. Quod dicit versus inter se male congruere, id non probo; nos enim Fortunam deam facimus, quia abest prudentia. Weidner lectionem codicis P. abest, non habes, esse contendit: errat, lectio codicis est habes [1]).

---

[1]) R. Beer: Spic. Iuvenal. p. 76.

Satira XI.

Satiram undecimam in duas partes, quarum una vv. 1—55, altera vv. 56—208 continet, dividi posse, facile videmus. Argumentum primum paucis exponemus, deinde de cohærentia loquemur.

Quæ in priore parte disputantur, ea ad vv. 35—36:

> noscenda est mensura sui spectandaque rebus
> in summis minimisque

tamquam ad fontem revocari possunt, nam caput argumentationis illa mensura est, quæ si desit, omnia vana et confusa esse poeta monet. Quod in hanc fere sententiam demonstrat. Illi, inquit, qui in luxuriam, nulla fortunarum ratione habita, pecuniam erogant, in eum statum postremo rediguntur, ut ad vitam sustentandam sese lanistæ vendere cogantur, velut Rutilus (vv. 1—8). Qui nondum tanta penuria laborant, tamen, quia iis in solo palato causa vivendi est, brevi eundem atque Rutilus exitum habebunt; nimios sumptus more stultorum hominum faciunt, sic ad miscillanea ludi ocius serius venient (vv. 9—20). Vivant ita, qui divites sint; qui minus habeant meminerint, quantum distet sacculus ab arca ferrata (vv. 21—27). Vetus et tritum illud est: γνῶθι

σεαυτόν; eius memores semper esse debemus (vv. 28—34). Quin etiam in minimis rebus modus servandus est: qui non habeat in loculis nisi quod ad gobium emendum sufficiat, mullum ne concupiscat, nam gula crescente et deficiente crumena ad mendicitatem sensim redigetur (vv. 35—45). Gula dominus crudelis est, qui servos quodvis genus fraudis scelerumque committere cogit, ne pudor quidem obstat, nam inter id genus homines pudor iam diu exstinctus est (vv. 46—55).

In altera parte satiræ Iuvenalis se illa præcepta non modo verbis verum etiam re esse comprobaturum ostendit. Invitat Persicum ad cenam, qualis hæc futura sit exponit (vv. 56—63). Fercula igitur ab ovis usque ad mala enumerantur (vv. 64—76), deinde copiose disserit de priscis temporibus deque hominibus, qui tum vivebant, quorum simplicitatem et parsimoniam, diis quoque gratam, elatis verbis more suo collaudat (vv. 77—119). Quibus æquales suos opponit, luxuriam eorum acerbe vituperans (vv. 120—129). Nihil negotii se cum istis hominibus dicit habere (vv. 129—131). Nulla apud se invitamenta ad luxuriam esse (vv. 131—135); pueros ingenuos morumque integritate laudandos (vv. 136—161). Nullum ibi locum esse saltatricibus aut eius modi scurris; carminibus se Homeri et Vergilii amicum suum delectaturum esse (vv. 162—182).

Quam ob rem petit ab amico, ut abiectis curis quam celerrime veniat (vv. 183—192). Petit ut circum ne desideret: circum ad iuvenes, non ad senes pertinere (vv. 193—202). Maiora esse oblectamenta, quæ ruri

percipiantur, atque eo maiora quo parcius homines iis fruantur (vv. 203—208).

Ex ista materia aliquid præclarum ab ingenioso artifice effingi posse, manifestum est. Hoc Iuvenali contigisse, omnes viri docti una mente consentiunt. Heinrichius dicit [1], apud veteres nihil reperiri posse hac descriptione præstantius: adeo ibi ad vivum expressa omnia, adeo nihil inesse affectatum aut fucatum, adeo cuncta loqui animum verum et candidum, sua virtute amabilem. Qui, etiam si in laudibus nimius est, tamen recte monet, non multa hic inveniri vestigia indignationis Iuvenalianæ sed animum hic regnare compositum et quietum et Horatiano propiorem. Idem fere est iudicium Ribbeckii, cum dicit [2], hanc satiram omnium suavissimam esse et ad iucundum illum leporem Horatianum et festivitatem proxime accedentem. Neque tamen hic omnia probat. Divisa satira in duas partes, posteriorem tantum (vv. 56—208) retinet, quasi mente et ingenio Iuvenalis dignam; priorem partem (vv. 1—55) respuit. Integritatem horum versuum tam vehementer impugnat, tot causas, etiam levissimas, ad sententiam suam tuendam advocatas adhibet, ut interdum iocari potius quam severe agere videatur. Ad v. 13 adnotat, fieri non posse, cum verba illa iam perlucente ruina legamus, ut de vestibus rimarum plenis non cogitemus. Sic multa habet, quæ in versu 14 reprehendat:

interea gustus elementa per omnia quærunt

[1]) Heinrich l. l. I. p. 108.
[2]) Ribbeck l. l. p. 83.

Primum enim quærit, quid sibi velit vocabulum interea, nam hoc significare posse dicit: dum creditor ad introitum macelli eos exspectat; deinde de modica luxuria istorum helluonum iocatur, quod non in fercula sed tantum in promulsidem sumptum impendant. Irridet ventrem horum hominum, qui tam capax esse dicitur (v. 41), ut non modo greges pecorum sed etiam toti agri in eo demergi possint. Atque quoniam et helluones et pudor ipse ex urbe fugere dicuntur, quærit, quid paucis illis hominibus, qui v. 55 nominantur, reliquum sit.

Sed aliæ quoque causæ a Ribbeckio allatæ sunt, cur vv. 1—55 pro spuriis haberentur, inter quas gravissima ea sine dubio est, quod primo saltem aspectu dissimilia inter se ea videntur, quæ vv. 1—55 et vv. 56—208 tractantur. Quæ tamen dissimilitudo, ut opinor, explicari potest.

Versibus 55—208, qui et maiorem et graviorem partem satiræ efficiunt, prologum necessarium esse, ea verba demonstrare mihi videntur, quæ v. 56 leguntur:

experiere hodie, num quid pulcherrima dictu,
Persice, non præstem vita

Ita poeta satiram incipere non poterat nisi præmissis aliquot versibus, in quibus hæc verba accuratius et copiosius explicaret. An rari sunt apud Iuvenalem eius modi prologi, in quibus de materia proposita universe loquatur, antequam ad singula exempla transeat, quibus ea, quæ antecesserint, ex omni parte illustrare velit? Tam conexæ et copulatæ hæ partes in satiris eius

plerumque sunt, ut, quamquam proprium suum cuiusque munus est, una ab altera separari non possit.

Iuvenalis ipse igitur aliquid præmittendum esse, v. 56 confessus est. Hi sunt illi vv. 1—55, qui dissimiles quidem iis sunt, qui sequuntur, sed non sine causa. Quo modo similes esse possint, cum dissimiles res tractent? In priore parte satiræ philosophus de officiis hominum universe loquitur maximeque hoc mentibus eorum inculcare vult, ut semper frugaliter vivant, quod quo melius in pectore infixum sit, exemplis comprobat, qualis exitus iis impendeat, qui maiores quam pro opibus et fortunis sumptus faciant. In altera parte amicus se ad amicum convertit, non amplius disputationem more philosophorum de officiis hominum instituens, sed ut rem quandam ad vitam domesticam pertinentem cum eo communicet. Hæc est dissimilitudo, qua una pars ab altera segregatur, sed in illo de parsimonia sermone, utrique loco communi, etiam latet similitudo, qua hæc cum illis coniunguntur. Neque vv. 1—55, sive ordinem sententiarum respicimus sive elocutionem, tantas difficultates habent, ut ceterorum versuum scriptore tamquam indigni e contextu abiciendi sint. Sententia, quam præbent, non tam inepta est, quam vult Ribbeckius: non enim scriptor divites homines hortatur, ut helluones sint, dum pauperes, necessitate tantum coactos, parsimoniam colere iubet, sed apertis verbis ostendit, omnibus necesse esse hoc vitium evitare; addit tamen eos, qui divites sint, diutius quam ceteros appropinquanti paupertati resistere posse. Verum enim vero, inquit, etiam divitum hominum crumena aliquando

deficiet, nisi modum servare meminerint: tum idem atque ceteris exitus iis quoque venturus est.

Neque si sermonem examinamus esse videtur, cur hos versus Iuvenale indignos iudicemus. Certa sunt indicia, e quibus apparet, magnam inter hos et ceteros a Iuvenale factos intercedere similitudinem. Rhetorica forma sæpe adhibetur, occurrunt interrogationes eius generis, cuius multa aliis locis exempla reperimus; sententiæ orationi crebro admiscentur, transitiones non iis dispares sunt, quas antea habuimus. Iam in exordio illa exclamatio rhetorica est, a verbis, quæ sunt quid enim, incipiens, quæ tam usitata apud Iuvenalem est. V. 5 verbum finitum omittitur. Cfr. hæc exempla:

verius ergo
et magis ingenue Peribomius (II. 15—16)

flos Asiæ ante ipsum (V. 56)

omnia græce (VI. 187)

di, maiorum umbris tenuem et sine pondere terram (VII. 207)

hi sermones
tunc de Seiano (X. 88—89)

hæc illi veteres præcepta minoribus (XIV. 189)

Transitione quæ est v. 9:

multos porro vides, quos cet.

novæ in scænam inducuntur personæ. Hi homines se in potestatem lanistarum nondum dederunt, sed quoniam luxuriose vivunt, opes in dies infringunt, quo fit, ut postremo nullam nisi in sordidissimis artibus salutem

sint habituri. Opponuntur enim quodam modo inter se ii, qui cum Rutilo iam in eo sunt, ut miseria coacti gladiatores fiant, et ii, quibus adhuc restat fortunarum paululum, sed qui mox ad summam inopiam redacti exemplum, quod dedit Rutilus, sequi cogentur. Hæc est significatio particulæ porro. Iam vides, inquit poeta, quid Rutilus expertus sit, sed præter hunc multi sunt, qui eandem viam ingressi ad eandem metam venturi sint. Est oppositio quædam, quamquam utrique in eadem via sunt, sed poeta dicere vult, alios aliis longius processisse. Porro igitur idem fere significat ac præterea. Nam quod monet Bergmueller [1]), hanc particulam hoc loco ad argumentationem spectare, quod in assumptione sit (propositionem enim esse dicit vv. 5—8: pauperes, qui luxuriose vivunt, ad mendicitatem rediguntur; assumptionem v. 9: multi id faciunt; conclusionem v. 20: sic veniunt ad miscillanea ludi) eius modi argumentationem non magni facio, quæ præterea, si talem verbis Iuvenalis significationem daremus, hoc modo concludenda esset: qui luxuriose vivunt gladiatores fiunt; multi luxuriose vivunt: multi ergo gladiatores fiunt. Mihi poeta dixisse videtur, alios propter egestatem gladiatores iam esse, alios brevi futuros. Cfr. exempla III. 126, VII. 98.

Ea sententia, quæ per particulam interea inducitur v. 14:

interea gustus elementa per omnia quærunt

simillima ei est, quæ VI. 461 legitur:

---

[1]) Bergmüller l. l. p. 22.

interea foeda adspectu ridendaque multo
pane tumet facies

Cfr. VIII. 155—157. Quæ similitudo fortuita esse vix potest.

Etiam usum Iuvenalianum per particulam, quæ est ergo, ea quæ antecesserunt quasi comprehendendi in hoc prologo agnoscimus (v. 21). Bergmueller, qui de usu huius particulæ disputat [1]), negat in hoc versu particulam rhetorice usurpari, ut exordium satiræ concludatur. Recte, quia exordium usque ad v. 56 pertinet, sed nonne rhetorice etiam usurpari potest, ubi in media oratione inveniatur, dum modo certam partem satiræ quasi repetendo concludat (velut VII. 171), ut transitio deinde fiat ad ea, quæ postea disputantur?

Interrogatio illa Iuvenaliana, de qua sermo sæpe fuit, rursus v. 38 occurrit. Vv. 52—53 irrisio est gravissima, ei non dissimilis, quæ legitur II. 137—138. Ribbeckius pronomine, quod est idem, cum pronomine demonstrativo, quod est hic, coniuncto (vv. 21, 25) offenditur [2]). Hanc vero iuncturam apud Iuvenalem crebram esse et in prioribus satiris et in posterioribus, Weiseus omnibus exemplis allatis satis dilucide demonstrat [3]). Neque est quod cum Ribbeckio declamatorem illum vituperemus, quod ad res gestas veterum heroum et illustrium virorum, tamquam si doctrinam copiosam ostentare velit,

---

[1]) Bergmüller l. l. p. 12.
[2]) Ribbeck l. l. pp. 90—91.
[3]) Weise l. l. pp. 36—37.

sæpe recurrat, ut vv. 30—31, nam id non modo declamatori sed etiam Iuvenali usu venit [1]).

Retinemus igitur vv. 1—55. Et quod ad argumentum pertinet et ad argumenti dispositionem, defendi possunt, si quidem defensionem omnino desiderant.

Sed si, nostra quidem sententia, et per se hi versus apti sunt et cum altera parte satiræ non male cohærent, tamen non defuerunt, qui uno alterove loco alium ordinem instituere vellent, quorum in numero Kiærius est, qui de vv. 38—45 in libro suo disputat [2]). Dicit ille, in vv. 38—41 interrogationem inesse: huic interrogationi poetam respondere vv. 44—45. Versus duo, inquit, qui inter interrogationem et responsum interpositi sunt, cohærentiam sermonis obscuraverunt. Disponit igitur ita hos versus, ut vv. 42—43 post vv. 44—45 collocet. Causam esse vult, quod nusquam apud Iuvenalem talis parenthesis (qualis est vv. 42—43) inter interrogationem et responsum interseratur, neque usquam, ubi talis interrogatio præcedat, responsum desideretur. Hæc mira sunt, nam eius modi interrogationes, a verbis quis enim, quid enim incipientes, semper fere apud Iuvenalem quasi in parenthesi usurpantur, neque iis respondetur, quia responsio, opinor, plane supervacanea est. Ac si cum Kiærio vv. 44—45 post vv. 38—41 ponimus, ut responsum iis reddant, ineptum responsum reddunt. Poeta enim quærit, qui exitus helluones maneat. Respondet (vv. 44—45), non mortem iis metuendam esse, sed morte magis sene-

[1]) Gylling l. l. p. 19. not.
[2]) Kiær l. l. pp. 162—164.

ctutem. Hæc non est responsio. Si egestatem manere respondisset, recte fecisset, sed, quod iam diximus, illa interrogatio responsionem non desiderat. Cfr. X. 4—6:

> quid enim ratione timemus
> aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
> conatus non pæniteat votique peracti?

Nihil respondetur, quia omnino non opus est. Qui legit ipse respondere potest. Atque confitendum sane est, quid poeta illa interrogatione significare velit, multo clarius e vv. 42—43 (nam ibi de mendicitate talium dominorum agit), quam e vv. 44—45 apparere. Kiærius verba, quæ sunt v. 46: hi plerumque gradus, cum iis coniungit, quæ præcedunt, cum ea certius definiant (præcedunt enim apud eum vv. 42—43), sed etiam ad eos versus, qui sequuntur, referri possunt; quoquo modo res se habet, non multi gradus enumerantur, hoc Ribbeckio [1]) facile concesserim.

Venimus ad alteram partem satiræ, quæ vv. 56—208 continet. Quo modo cum altera cohæreat, novimus, iam quo modo inter se hi versus conectantur, videamus.

Vocato ad cenam Persico, poeta qualis cena futura sit, amico exponit. Transit igitur ad fercula enumeranda v. 64, quæ transitio fit per particulam, quæ est nunc, cum imperativo coniunctam. Iam supra (ad X. 209) de hac transitione, quæ in satiris Iuvenalianis non rara est, disputavi. Dum fercula nominat, uno loco particulam, quæ est præterea, adhibet, cuius particulæ apud eum

---

[1]) Ribbeck l. l. p. 95.

usus late patet. In iis satiris, quas in hoc libello iam tractavimus, enumeratio per hanc particulam continuatur IX. 89, 145, X. 217, 300. Et quoniam in mensa sobria describenda versatur, potestatem habet ad vitam et mores maiorum transeundi (v. 77) et vetera repetendi, id quod in satiris eius sæpe fit, nec umquam fere maior poeta nobis videtur, quam ubi pristina illa tempora laudibus extollit. Continuat hanc antiquitatis commemorationem usque ad v. 120. Præclarissimi versus et belle compositi, quorum cohærentia non a multis reprehenditur, quia reprehendi non facile poterit. Incipit poeta a simplicibus ferculis, quæ illis temporibus in mensis apponebantur (v. 78), deinde qui convivæ fuerint, ostendit (v. 86). Tum venit ad supellectilem (v. 90), quæ simplex erat et sine munditia; nondum enim miles Romanus Graias artes admirari didicerat (v. 100). In dubium vocari potest, num hoc Romanis honori fuerit, sed Iuvenalis, quod sæpe vidimus, Græculos despiciebat atque hoc quoque loco non sine irrisione aliqua de artibus eorum loqui videtur. Illam morum simplicitatem, illam priscam et veram virtutem diis quoque gratam fuisse, exemplis ostendit (v. 111). Transitio a templis et diis ad mensas ex ligno factas temeraria videri potest, defenditur tamen eo, quod poeta in supellectili describenda versatur atque templorum deorumque mentionem tamquam in parenthesi fecit.

Transitio quæ est v. 120 tanto facilior est ad explicandum. Iam poeta æquales ob insanam luxuriam, ob fastidium et superbiam reprehendere pergit. Cum eorum

magnifico apparatu comparat quod ipse habet (v. 131). Supellectilem simplicem esse confitetur, servos paucos et indoctos. Laudandi imprimis duo illi versus sunt (152—153), qui inter ceteros, quamvis bonos et laudabiles, longe eminent.

Omnino poeta in hac parte satiræ interrogationibus abstinet, neque exclamationes crebræ sunt. Vis rhetorica non tanta est in satira undecima, ne necessaria quidem. Non hic, ira et odio incensus, facinora suæ ætatis hominum poeta castigat. Tamen interrogatio est v. 162, cui respondetur v. 171. Simillima ea interrogatio est, quæ cum responso legitur V. 156—157.

Hac finita descriptione poeta v. 183 redit ad eam, quam in initio (vv. 56 sqq.) proposuit, invitationem. Hic reditus ad propositum, qui vocatur, hoc loco per particulas sed nunc inducitur: Bergmueller hoc exemplum in cetera eiusdem formæ rhetoricæ, quæ enumerat [1]), referre debuit. Nam v. 183 oratio his particulis eo revocatur, unde declinavit. Vv. 183—208 nullam habent difficultatem præter lacunam illam, quæ esse dicitur post v. 196, ad quam infra redibimus.

Ad vv. 86 sqq. Kiærius adnotat [2]), versus, qui sunt:

cum tremerent autem Fabios durumque Catonem
et Scauros et Fabricios rigidique severos
censoris mores etiam collega timeret

---

[1]) Bergmüller l. l. pp. 44—45.
[2]) Kiær l. l. pp. 94 sqq.

superioribus adiungendos esse, cum tempus, quo cognati illi (v. 86) ad has epulas iverint, certius definiant. Quod ei assentiri nullo modo possum, nam non intellego, quo modo illud autem (v. 90) explicare velit, præsertim cum ipse concedat, hanc particulam minus aptam esse, et addat, pluralem verbi, quod est tremerent, numerum voces prægressas (aliquis ibat) paulo durius excipere. Mihi quidem vv. 90 sqq. causam indicare videntur, cur nemo inter curas habendum duxerit, qualis in oceano testudo nataret (v. 93). Nulla est cohærentia versuum 90 sqq. cum iis, qui antecedunt; neque enim dicere possumus, cognatos illos maturius ad epulas ivisse, cum tremerent Fabios et Catonem et collega ipse censoris severos mores timeret; ut nihil addam de molesto verbo, quod est autem. Incidimus igitur maiore signo post ligonem (v. 89), minore post timeret (v. 92). Præterea Fabricium, non Fabricios, esse legendum, ut Scauros et Fabricium magis concinne respondeant verbis, quæ sunt Fabios et Catonem in priore versu, veramque codicis P. lectionem hanc esse, Beerius nuper confirmat [1]).

Si integritatem versuum respicimus, nonnullos in dubium revocari videmus. V. 99:

tales ergo cibi qualis domus atque supellex

a multis damnatur. Compositus est eodem fere modo quo v. 161:

namque una atque eadem est vini patria atque ministri

---

[1]) Beer l. l. p. 75.

Comprehendunt hi versus ea, quæ antecesserunt, sed non belle comprehendunt. Eam inter hos versus rationem intercedere puto, ut si unus reicitur, alter quoque reiciendus sit. Quo modo v. 161 ortus sit, Ribbeckius docet [1]). Nam cum essent in scholiis hæc verba (ad vv. 159—160): de eadem villa vinum, unde et minister est, ex his verbis versum 161 ab interpolatore factum esse contendit. Utrumque igitur versum damnat. Ante eum Heinrichius idem fecit. Iahnius v. 99 uncis includit, v. 161 retinet. Weidner Iahnium sequitur. Hermannus utrumque versum comprobat. Credo Iuvenalem iis, qui legerent, permisisse, ut hanc ipsi conclusionem facerent versusque languidos respuo.

Vv. 147—148 a Iahnio sic scribuntur:

non Phryx aut Lycius [non a mangone petitus
quisquam erit: in magno] cum posces, posce latine

Ita Weidner, Hermannus, Ribbeckius hunc locum emendant. Hermannus: si quid, inquit [2]), in hac satira interpolationis suspicionem movet, duo illa hemistichia sunt, quæ vv. 147—148 cancellis notavi; quorum otiosam duritiem ne Pithoeanus quidem *in magno* scribendo valde lenit. Heinrichius versus retinet, sed pro in magno legit et magno, ubi particulam, quæ est et, eandem significationem ac neque habere contendit, aliud exemplum (VIII. 241) adferens, ubi tamen lectio valde dubia est. Ribbeckius [3]) negat se intellegere, quid illa verba in magno

[1]) Ribbeck l. l. p. 135.
[2]) Hermann in præf. edit. p. XXX.
[3]) Ribbeck l. l. p. 134.

significent iureque reprehendit Oudendorpium, qui dixit ad verbum magno audiendum esse: poculo. Variæ igitur sunt sententiæ virorum doctorum, plerique hæc hemistichia delent. Non recte, credo; sunt in codicibus scholiisque, neque pravam sententiam habent, nam quod monet Ribbeckius, notas res in iis commemorari, id etiam valet de multis aliis versibus Iuvenalianis, quos ipse non respuit. Verba, quæ sunt: non a mangone petitus quisquam erit, non sunt molesta, sed quæ deinde sequuntur: in magno (l. et magno) intellegi non possunt; id Ribbeckio assentior. Illud magno originem sine dubio traxit e verbo mangone in versu priore, quem errorem variis postea modis librarii emendare conati sunt. Credo eo loco, ubi nunc illa verba in magno leguntur, adiectivum fuisse ad mangonem pertinens. Quale hoc adiectivum fuerit, coicère non audeo, fortasse inmani vel tale quid. Iuvenalis de servis insolenter non loquitur, minime in hac satira (Cfr. VI. 222, XV. 149 sqq.) et si attributum hoc loco dedit mangoni, id quod ego non negaverim, admodum acerbum sine dubio dedit. Retinendi sunt igitur vv. 147—148, sed verba in magno uncis includenda, donec attributum verum inveniamus.

Quod ad vv. 165—170 attinet iam a Ribbeckio optimis argumentis damnati sunt [1]). Quamquam enim quæ vv. 169—170 commemorantur bene congruunt cum VI. 63 sqq. (addere potuit v. 168 magnam similitudinem habere cum VI. 254), tamen inepte illi versus inseruntur.

---

[1]) Ribbeck l. l. pp. 113—115.

Imprimis grave est, quod monet de mentione divitis hominis v. 168.

Post vv. 195—196:

ac mihi pace
immensæ nimiæque licet si dicere plebis

Weidner lacunam esse arbitratur, nam ut nunc est, illud dictum in versu sequenti desiderat. Ribbeckius ambo versus delet. Utrumque falsum, nam iure retineri possunt nec lacuna statuenda est. Iuvenalis de circo loquitur tamquam despiciens eius modi oblectamenta seque in herba iacere vernumque solem bibere pluris facere confitetur. Neque tamen ignorat, plebem longe aliud iudicium de hac re facere, quam ob rem non sine ironia veniam audaciæ petit. Vv. 193—204 igitur hoc modo disponendos esse crediderim:

interea Megalesiacæ spectacula mappæ
Idæum solemne colunt similisque triumpho
præda caballorum prætor sedet et fragor aurem
percutit, eventum viridis quo colligo panni.
nam si deficeret, mæstam attonitamque videres
hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
consulibus. spectent iuvenes, quos clamor et audax
sponsio, quos cultæ decet adsedisse puellæ.
totam hodie Romam circus capit: at, mihi pace
immensæ nimiæque licet si dicere plebis,
nostra bibat vernum contracta cuticula solem
effugiatque togam

Priusquam satiram undecimam relinquo, aliquid addendum videtur de vv. 106—107:

ac nudam effigiem clipeo venientis et hasta
pendentisque dei perituro ostenderet hosti

Poeta dicit, cassidem militis Romani perituro hosti effigiem Martis ostendere, venientis clipeo et hasta et pendentis. Si quidem minax aliquid huic imagini attribuere voluit, clipeus et hasta desiderari vix possunt. Minus igitur probabilis sententia Buecheleri videtur, verba clipeo et hasta a verbo nudam pendere [1]). Alii aliter de his versibus disputant. Credo effigiem Martis in summa galea fuisse, et ita quidem factam, ut deus, clipeo et hasta armatus, proclinaretur, tamquam si et suos defendere et hostes terrere vellet. Cfr. quod de ea re mea quidem sententia bene disputavit Schrader [2]).

---

[1]) F. Bücheler: Coniectanea de Silio Iuvenale Plauto cet. Mus. Rhen. XXXV (1880) pp. 390 sqq.

[2]) Schrader: Über Juvenals XI Sat. vv. 100—107. Gymnasialprogr. Stendal 1831.

Satira XII.

Sitne hæc satira in numerum meliorum ascribenda, in disceptationem revocari potest. Qui laudarent non defuerunt; mihi quidem et argumentum et fortasse etiam argumenti dispositionem consideranti, non nimis laudibus extollenda videtur. Inesse in ea, quæ venustatem et gratiam Horatianam æmulentur, non nego, plura video, quæ non modo ab illa venustate et lepido dicendi genere verum omnino ab ipsa arte Iuvenaliana nimium quantum abhorreant. Satiram duodecimam a Iuvenale non abiudico, sed tam gravia sunt illa, quæ commemoravi, ut mirationem faciant nosque cogant inquirere, quænam sit illa causa, qua permotus poeta ad eius modi satiram componendam aggressus sit. Argumentum inspiciamus.

Ob reditum Catulli amici poeta sacrificium facere vult. Neque iniustum, nam amicus, cum in itinere maritimo esset, tot vitæ pericula adierat, ut servari posse vix videretur. Præter opinionem hic vitæ redditus est; gaudio exsultans poeta Corvino hanc epistolam mittit, pericula Catulli exponit, promittit se sacrificium facturum petitque a Corvino, ut ne sit ei suspectum hoc suum in servatum amicum studium; non captatorem se esse, purum et sincerum eum amorem esse, qui inter se et Catullum

intercedat. In fine satiræ poeta turpitudinem eorum castigat, qui quæstus causa, nulla amicitia ducti, se studio et amore erga divites homines incensos esse, simulare solent.

Hæc ad bonum carmen componendum sufficere, quis non videt? Tamen satira duodecima et aspera est et plena difficultatum nec raro in salebra hæret oratio, ut sæpe nesciamus, quo modo nos expedire possimus. Magna est inter viros doctos dissensio de argumenti disponendi ratione, neque iusta causa huius dissensionis deesse videtur.

Si quærimus, quid sibi proposuerit poeta, cum satiram duodecimam scriberet, manifestum est, duas eum res simul assequi voluisse, unam ut gaudium ob felicem reditum amici testificaretur, alteram ut ostenderet, quid inter illud gaudium sincerum et simulatum in divites homines studium captatorum interesset. Quam ob rem cum una cum altera arte coniuncta sit, recte monet Heinrichius [1], hic non duplex esse argumentum; sed cum addit idem, non scriptam esse satiram in avidos et rapaces homines aut in heredipetas, ei non plane assentior. Nam hæc satira etiam in id genus homines re vera scripta est, quoniam transitio ad eos facilis erat, neque tamen duplex argumentum est, si quidem hoc ita intellegimus, ut de duabus rebus, quarum una cum altera nihil negotii habeat, cogitemus. Quem ad modum Iuvenalis in satira undecima de simplicitate illius cenæ, ad

---

[1]) Heinrich l. l. vol. I. p. 116.

quam amicum invitaverat, ita loquitur, ut potestatem simul habeat in mores corruptos et luxuriam perditam æqualium invehendi, sic in satira duodecima cum verum animi adfectum exprimit etiam ad artes captatorum diligentius considerandas non minus opportune transire potest. Hæc igitur nullam præbent difficultatem.

Hoc nescimus: quid sibi velit longa illa tempestatis descriptio, quæ vv. 18--82 legitur. Nam confitendum est, nullum alium in satiris Iuvenalis locum inveniri, ubi tot difficultates, tot incertas sententias, tot obscuras res deprehendamus. Nimirum consilium, quod cepit poeta, tempestatis describendæ laudabile est, ipsa descriptio non item. Contraria et diversa iudicia virorum doctorum sunt de his versibus. Inter eos qui, ut Ribbeckius, non modo hanc partem satiræ sed universam satiram damnant, et eos qui omnibus viribus enituntur, ut integritatem satiræ defendant, medium, quod aiunt, Haenickeus tenet, qui in commentatione sua [1]) demonstrare studet, illos versus a Iuvenale quidem scriptos esse, sed non sine magna dissimulantia, cum poetam hoc loco ostendere voluisse credat, non quales versus ipse componere posset, sed quales vulgo ii facerent, qui, cum in exercitationes declamatorias operam et studium satis diu contulisse sibi viderentur, assiduis recitationibus in dies magis molesti et invisi iis fierent, qui eos nugasque eorum evitare nullo modo possent. Et quoniam Iuvenalis I. 1 hæc verba exclamavit:

---

[1]) O. Hänicke: Kritische Untersuchung über die Echtheit der 12 Satire von Juvenal, Putbus 1877.

semper ego auditor tantum? numquamne reponam?

Haenickeus ex iis coniectat, Iuvenalem istis recitationibus totiens vexatum tandem XII. 18—82 par pari referre atque in harenam ipsum descendere, ut cum his declamatoribus pugnam, ad eorum genus pugnandi scite accommodatam, ingrediatur. Huic sententiæ suffragari contendit, quod Iuvenalis ipse dicit vv. 22—24:

omnia fiunt
talia, tam graviter, si quando poetica surgit
tempestas

Iuvenalem igitur in iis, quæ sequuntur, more poetarum tempestatem describere putat, ridiculis verbis scilicet et hyperbolis audacissimis utentem.

Non nego, istam sententiam primo aspectu habere, quo commendetur. Si verba et enuntiata poetæ respicimus, nihil fere impedit, ne Haenickeo assentiamur. Obscurum et difficile illud genus dicendi, crebra impedimenta, quæ nobis obstant, lata et quasi exaggerata oratio, omnia denique demonstrare videntur, non sine consilio hæc omnia adeo confusa et contorta esse. Dicit Friedlaender quidem, non hoc loco magis quam multis aliis orationem Iuvenalis lutulentam fluere, atque omnino negat contigisse Haenickeo, ut nobis persuaderet [1]), sed hoc haud scio an audacius dictum sit.

Tamen sententiam Haenickei, quamvis ingeniosa sit, amplecti non possum, sed aliam atque Friedlaender

[1]) Friedländer: Jahresbericht über die röm. Satiriker (Bursians Jahresb. V. 1877 p. 311).

viam ingredior. Non defendo obscuritatem horum versuum, quam contra ob eam solam causam tolero, quod toleranda nobis est. Sed in hoc Haenickeum reprehendo, quod nullo modo a me impetrare possum, ut credam Iuvenalem, cum gaudium sincerum ob salutem amici testificari vellet, tam inepte fecisse, ut de summo periculo amici carissimi, cuius de vita in hoc ultimo discrimine ageretur, dedita opera iocaretur. Dicit poeta v. 93:

nec suspecta tibi sint hæc, Corvine

At profecto si Iuvenalis eiusdem satiræ, in qua eum tam præclaris verbis ad veram amicitiam verumque amorem comprobandum uti videmus, maiorem partem in periculo Catulli irridendo consumpsisset, non video, quo modo suspecta hæc Corvino non essent. Mirum esset, si Iuvenalem humanitate tam destitutum putaremus; venustatem et gratiam, quam per magnam huius satiræ partem manare videmus, admissa tali suspicione, funditus tolleremus.

Non igitur illam descriptionem periculorum Catulli a Iuvenale abiudicamus, sed ei non contigisse credimus, ut eam satis perfectam aut elaboratam nobis ante oculos poneret, id quod melius apparebit, cum, qualis sit ea descriptio, attentius exquisiverimus.

In exordio satiræ poeta promittit se diis immolaturum ob felicem reditum Catulli amici (vv. 1—16). Transit deinde ad varia capitis pericula commemoranda, quæ in itinere amicus adierat. Primum enim navis e cælo icta est, ut antennæ et vela ignem conciperent (vv. 17

—24). Quo modo hoc incendium exstinctum sit, non dicit poeta; nulla incendii cura est in iis, quæ sequuntur, quamvis de reliquis periculis copiose disserat. Iam navis plena fluctu undis prope obruitur; tum gubernator merces atque onera proiciendo pacisci cum ventis coepit—imitatus castora, qui damno testiculi evadere cupit (vv. 24—36). Catullo ipso hortante in mare præcipitantur pretiosissimæ vestes purpureæ atque aliæ, quarum pecus natura, Bætico aëre adiuta, infecerat, mox vasa argentea, bascaudæ et mille escaria, sed damna non levant (vv. 37—53): Iam salutis nulla spes esse videbatur, malus igitur præcisus est: hoc ultimum perfugium erat (vv. 53—61).

Interea mare tranquillum factum est. Tam lata est oratio, ubi hæc tranquillitas commemoratur, tam effusa, tam abundans, ut nihil umquam simile apud poetam viderimus, sed de hoc infra. Mare tutum est, navis vestibus extentis et uno tantum velo instructa cursum in Italiam tenet (vv. 62—69). Tandem mons Albanus procul conspicitur navisque in portum Ostiensem pervenit, cuius magnitudo describitur. Gaudent ibi securi nautæ pericula, quæ experti sunt, coronæ audientium narrare (vv. 69—82).

Iam poeta se ad pueros convertit sacrificiumque parari iubet: se sacro rite peracto domum rediturum, ut laribus tura offerat (vv. 83—92). Tum Corvinum alloquitur petens ab eo, ne suspecta ei hæc omnia videantur; sic transitionem sibi comparat ad mentionem captatorum, in quos summa irrisione in fine satiræ invehitur. Se enim

captatorem non esse, neque omnino esse posse, cum Catullus tres parvos heredes iam habeat. Pro amico tam sterili ne coturnicem quidem immolari solere. Quodsi orbi Gallita et Pacius sentire calorem coeperint, captatores eorum protinus cælum ac terras miscere, ut studium amoremque suum erga eos quam apertissime ostentent; tum illos captatores queri, quod in Italia elephanti venales non sint, nullos sumptus nimios putare, dum modo talis belua ante lares divitis patroni cadat, quin etiam esse, qui non modo servis suis verum etiam filiæ vittas imponant, ut quasi altera Iphigenia immoletur. Castigat poeta iucundissima irrisione eius modi hominum mores probrosos et finit satiram additis aliquot verbis, quibus optat, ut isti captatores diu vivant, aurum cumulent sed ab omnibus hominibus despiciantur (vv. 93—130).

Dulcior (v. 1) apte ponitur ad exprimendum, quid poeta senserit, cum ad hanc satiram, ab amico ad amicum de communi amico missam, componendam aggrederetur. Multo melius est quam quod proposuit Rupertius carior l. clarior, aut quod in codice quodam a Gasteo recognito [1]), invenitur pulchrior.

Circuitionis exemplum est v. 4, a genere scribendi Iuvenalis non alienum, quod supra animadvertimus. Quattuordecim exempla e prioribus satiris sumpta adnotari possunt, totidem fere e posterioribus.

Particulam sed (v. 5) Heinrichius ita explicat, ut vitulum iam paratum esse, agnas non item, confirmet;

[1]) A. Gasté: Notes critiques sur un manuscrit de Iuvénal cet. Exstr. d. Annales d. l. Fac. d. lettres d. Bordeaux II. 3. 1880.

quod unde sumat nescio. Poeta non distinguit paratas hostias ab iis, quæ nondum paratæ erant (Cfr. ducimus v. 3, dabitur v. 4, quatit v. 5). Particula, quæ est sed, ideo adhibetur, ut distinctio sit inter Iunonem, Minervam et, qui summam imperii tenet, Iovem.

Vv. 7—9:

> quippe ferox vitulus, templis maturus et aræ
> spargendusque mero, quem iam pudet ubera matris
> ducere, qui vexat nascenti robora cornu

verborum copiam produnt, non inusitatam quidem apud Iuvenalem, sed quæ molesta interdum fieri possit. Quod tamen de hoc loco non valet. Quamvis enim vitulus, qui ferox sit, cornu robora vexet; quamvis, qui templis maturus sit, etiam aris meroque sit maturus, tamen in his verbis vis quædam inest, quæ efficiat ut imago illa magis viva fiat, ut quid nobis monstrare velit poeta quasi præsentes oculis cernamus. Lubricam admodum eius modi copiam verborum esse et summo opere cavendum, ne nimia aut operosa sit, facile concedo; videbimus infra aliud exemplum, ubi poeta iure ad arbitrium verba sententiasque componendi non modo utitur, verum plane abutitur.

Ribbeckius scriptorem satiræ duodecimæ reprehendit [1]), quod duplex in ea sit commemoratio paratus ad festum diem celebrandum (vv. 1—14 et 83—92). Non video, cur hoc non liceat. Vv. 1—14 Iuvenalis sacrificium se facturum dicit, deinde exponit, cur sacrificet,

---

[1]) Ribbeck l. l. p. 25.

et finita explicatione eo redit, unde declinavit oratio. Est igitur vv. 83—92 reditus ad propositum, non ineptus sed aptus et commodus.

V. 18 descriptio tempestatis sequitur, quæ descriptio tot curas viris doctis attulit. Omitto usum particulæ cum (v. 20), quæ hoc loco commoda non est, et transeo ad vv. 22—24:

omnia fiunt
talia, tam graviter, si quando poetica surgit
tempestas

Qui versus, ut vidimus, Haenickeum impulerunt, ut ea, quæ sequuntur, a Iuvenale dissimulanter scripta esse contenderet. Editores hos versus vulgo ita emendant, ut pro si quando legant quam quando. Cuius emendationis auctor Schurzfleischius esse videtur, quem sequitur Heinrichius. Addit hic [1], laudari a Iuvenale poetas, si lectionem, quæ est si quando, retineamus, quod consilium Iuvenalis esse negat. Nam si pro his verbis altera lectio, quæ est quam quando, admittatur, multo meliorem fieri sententiam contendit: omnia tam misere evenisse, quam apud poetas fingi soleant. Non multum interest, quantum ego video, inter hanc et illam sententiam. Qui lectionem si quando retinent, sic locum explicant: eius modi calamitates apud poetas leguntur, cum tempestates describunt. Qui alteram lectionem præferunt, in hunc modum versus interpretantur: calamitates Catulli tales erant, quales a poetis narrari solent. Cur opus est emenda-

[1]) Heinrich l. l. II. p. 444.

tione? Ut melior sit sententia? Non erit melior sed fere eadem. An ut laudes illæ a Iuvenale poetis tributæ obscurentur? Non laudavit Iuvenalis poetas; hoc tantum dicit, multa ab iis pericula commemorari, cum tempestatis cum fragore tonitribusque coortæ mentionem faciant.

Qui sequuntur vv. 24—26:

genus ecce aliud discriminis audi
et miserere iterum, quamquam sint cetera sortis
eiusdem pars dira quidem, sed cognita multis

ut, quod ad formam attinet, habent, quod orationem Iuvenalianam resipiat, sic sententiam obscuriorem continent. Imperativos, quales imprimis sunt accipe, aspice, respice cet., in transitionibus ab una parte ad alteram apud Iuvenalem usitatissimos esse, neminem fugit. Exempla a Weiseo collecta sunt [1]). Cfr. in hac satira vv. 57, 83. Quod est illud genus aliud discriminis? Periculum, ne navis mergatur, respondet Heinrichius. Recte quidem, hoc unum miror, quod Haenickeus in hac vera interpretatione cum Heinrichio tam acerbe cavillatur [2]). De ictu fulminis non est cogitandum; qui id putant iam multos abhinc annos a Webero convicti sunt. Verbum, quod est cetera (v. 25), respicit ea, quæ sequuntur (i. e. periculum, ne undæ navem obruant), non ea, quæ iam pertractata sunt (fulmina et incendium). Quamquam non ignoro, alios aliter locum explicare. Hein-

---

[1]) Weise l. l. p. 12.
[2]) Hänicke l. l. p. 15.

richius distinguit inter cetera et naufragium et unum alteri quodam modo opponit, quam ob rem aliter interpungit, sed sententia eius obscura est. Constructio verborum a Madvigio explicata est, neque tamen is omnes difficultates tollere potest. Iuvenalis verba sic accipio: audi aliud genus discriminis (i. e. periculum, ne Catullus in mari mergatur) et miserere, quamquam sint cetera (i. e. hæc, quæ nunc narraturus sum) eiusdem sortis (naufragii) pars multis nautis cognita, sed tamen dira et ob eam causam digna cuius te misereat.

Descriptio tempestatis finem non habet v. 24, quod Bergmueller contendit [1]). Mihi quidem usque ad v. 83, vel saltem ad v. 62, continuari videtur, quoniam omnia, quæ hoc loco enarrantur, ad naufragii pericula referuntur. Neque enim credendum est, Iuvenalem illos versus 22—24 tantum de fulmine posuisse, non de ceteris periculis, quæ in naufragio cogitari possunt quæque a poetis non minus quam densæ illæ tenebræ enumerari solent.

Satiram duodecimam obscuris sententiis verbisque difficilibus laborare, maxime in ea parte, quæ vv. 18—82 continetur, supra diximus. Vv. 30 sqq. novum exemplum est. Iahnius legit:

> cum plenus fluctu medius foret alveus et iam,
> alternum puppis latus evertentibus undis
> † arboris incerte nullam prudentia cet.

Lectio corrupta est: nemini adhuc contigit, ut veram restitueret. Lachmannus proposuit arbori incertæ, quam

---

[1]) Bergmüller l. l. p. 38.

lectionem leges metricæ non tolerant. Emendatio Weidneri arboris interitu infelix est, cum malus nondum sit præcisus; aliæ emendationes a Schurzfleischio, Achaintrio, Iacobio, Heinrichio, Kempfio, Doellenio, Ribbeckio, Hermanno, Schmidtio al. factæ sunt, quas hic persequi longum est, cum nihil fere lucis corrupto loco adferant. Cfr. Haenickeum pp. 15—16, cui præterea assentior, cum eos optime iudicare dicit, qui arboris incertæ legunt et hæc verba ad puppis referunt, nam quod addit idem, Iuvenalem fortasse hic dedita opera obscurum esse, vix est quod refellamus.

Miro modo vocabulum, quod est pecus, v. 41 adhibetur, tam miro sane, ut sententia Haenickei, hæc omnia ad carmina poetarum malorum irridenda scripta esse, iterum nobis in mentem veniat. Audacter sine dubio sanguis v. 13 usurpatur, audacius tamen pecus v. 41. Deinde in eo offendimus, quod Catullus tot vasa argentea possidebat, ut mille escaria et aliam supellectilem, et lautam et per regem Philippum pretiosissimam factam, in mare proicere posset. Friedlaender censet, Catullum mercatorem fuisse; si ita est, hoc saltem intellegimus, unde tantas divitias habuerit, sed tamen miramur, eum omnia illa in undas præcipitasse, cum navem aquæ plenam ea re levare vix posset, sed tantum cum ventis pacisci vellet.

Vv. 50—51:

non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
sed vitio cæci propter patrimonia vivunt

iam a Bentleio damnati sunt. Pinzger eius iudicium comprobat, Achaintrium et alios, qui eos defendere

voluerunt, refellens. Argumenta a Bentleio allata sufficiunt.

V. 62 molesti illi versus sequuntur, qui finem tempestatis continent. De lata in iis oratione, de iterationibus, de abundantia sermonis vix est, quod plura addamus. Multa sine dubio exempla Iuvenaliana inveniuntur, quæ copiam quandam verborum ostendant, ut III. 26, VII. 53, IX. 28, X. 219, id vero, de quo nunc sermo est, omnium primum locum facile tenet. Non approbo coniecturam, quam cepit Haenickeus; dixi Iuvenalem de calamitate amici iocari non potuisse: nihilo minus mirum est, tot ineptias, tot confusas res in hunc ipsum de tempestate locum cadere; nam postquam poeta hos versus finivit, id genus difficultates non amplius nobis occurrunt. Quin etiam post vv. 62—67, in quibus Iuvenalis vim ventorum remittere quam apertissime docet, rursus nova explicatio venit: iam deficientibus austris (v. 69), antequam ad desiderata illa verba perveniamus: tandem intrat positas cet. (v. 75). Præterea non bene posita est particula atque (v. 71) inter adiectiva gratus et sublimis, quod Weidner defendere conatur, Haenickeus oppugnare, non sine iure, ut mihi videtur, nisi forte totum v. 71 quasi in parenthesi includere liceat.

V. 83 poeta igitur ad ea redit, quorum iam in exordio satiræ mentio facta est. Hi vv. 83—92 lepidi sunt nec sine arte compositi; eo gratiores, quod laboriosos illos de tempestate versus insperata elegantia excipiunt.

In ultima satira (vv. 93—130) Iuvenalis captatores tam præclare irridet, ut his versibus ea plane compenset,

quæ ceteris huius satiræ locis deliquit. Artem Iuvenalianam redolent qui iam in principio (vv. 95—98) leguntur, nec qui sequuntur deteriores sunt. V. 110:

partem aliquam belli et euntem in proelia turrem

hiatum habet talem, quales apud Iuvenalem plures iam vidimus (Cfr. supra ad X. 54). Syllaba, quæ est in thesi, longa est. Weiseus legit cum Weidnero, Iahnio, Hermanno:

partem aliquam bellique et euntem in proelia turrem

hanc lectionem codicis P. esse adfirmans [1]); lectionem vero genuinam cod. P. non bellique (belliqet) sed belli et esse, Beerius ostendit [2]). Tamen propter cohærentiam verborum lectio, quæ est bellique, præferenda est.

V. 115:

alter enim, si concedas mactare vovebit

formam occupationis, quæ dicitur, adhiberi, Weidner monet, ut hæc significatio in verbo enim insit: nam quid ego dicam de? Novam igitur personam his verbis induci credere videtur, quod tamen falsum est, nam sermonem esse de Histro Pacuvio deque eius filia e vv. 125—127 satis apparet. Weidner de hoc loco eodem modo iudicat, quo de III. 132:

alter enim quantum in legione tribuni

Quam sententiam Weidneri ante refutavi [3]), iamque Bergmuellerum, Iongium, Meinertzium, Wirzium

---

1) Weise l. l. p. 63.
2) Beer l. l. p. 76.
3) Gylling l. l. pp. 32—33.

mecum facere video [1]). Re vera hi loci inter se comparari non possunt, cum particula enim III. 132 vim causalem habeat versumque explicet, qui antecedit. XII. 115 occupatio quædam est: neque elephanti sufficiunt, nam alter (Pacuvius) filiam quoque immolare paratus est; occupatio igitur, non tantum amplificatio, quod Bergmueller contendit.

---

[1]) Bergmüller l. l. pp. 20, 30.

Satira XIII.

Non gravis ea causa erat, qua permotus Iuvenalis hanc satiram composuit, si quidem eam in exiguo damno, quod acceperat Calvinus amicus, quærere volumus; gravior tamen dicenda, si poetam non de raro aut insolito fraudationis exemplo sed de morbo quodam queri meminimus, qui in dies magis ingravescens civitatem pervertere et vitas hominum labefactare videretur. Triste illud est, quod monet Iuvenalis de fraudibus et fallaciis æqualium, et eo tristius, quod nullam salutem sperare ausus est. Quid in tanta malæ consuetudinis corruptela ipse sentiret, in satira tertia decima et suæ ætatis hominibus et posteris aperte professus est. Rarum illud quidem et insigne probitatis documentum, cuius laus non deminuetur, quamvis non defuerint, qui de inanibus declamationibus cum despicientia loquerentur. Satira tertia decima inter ceteras locum non modo non male defendit, sed facillime tuetur, nec sine iure commentator quidam dixit, hanc satiram cum propter sententiarum, quibus abundaret, venustatem et gratiam, tum propter dicendi genus hilare et vividum inter pulcherrima doctæ antiquitatis monu-

menta referendam esse [1]). Hilare genus dixit, et haud scio an recte; quamvis enim philosophum, qui et multa expertus sit et in disquisitione rerum iniucundarum versetur, loqui audiamus, tamen Iuvenalis tam a se desciscere non potest, ut etiam in his rebus considerandis notam illam irrisionem et festivum sermonem interdum non adhibeat.

Hoc sibi proposuerat, ut, cum Calvinus amicus parva pecunia fraudatus esset et id damnum ægre ferret, eum consolaretur ostendendo non raro hoc fieri multosque etiam maioribus quam illum damnis adfici, neque tamen esse, cur istos fraudulentos homines ulciscerentur, qui iniuriam accepissent, cum illi, etiam si liberi evasissent, tamen poenas non mitissimas luerent, quoniam animi conscientia semper excruciarentur.

Quod argumentum in hunc modum disponit.

A communi sententia incipit (vv. 1—2). Primam esse ultionem, quod se iudice nemo absolvatur, quamvis apud prætorem vicerit (vv. 2—4). Hanc sententiam poeta hoc loco non amplius explicat, servat eam usque ad v. 192, ubi his verbis ad eam redit:

cur tamen hos tu
evasisse putes, quos diri conscia facti
mens habet attonitos et surdo verbere cædit
occultum quatiente animo tortore flagellum?

Et haud scio an recte hoc in aliud tempus distulerit, nam prius ei dicendum erat de peccatis, quam ad poenas

---

[1]) C. Müller: Lateinische Interpretation einiger Stellen aus Juvenal. Schulprogr. Hamburg 1830, p. 6.

exhibendas transgrederetur. Offendi possumus verbo, quod est prima (v. 2), quasi nulla præter hanc alia ultio commemoretur, cum omnia ad animi conscientiam referantur; sed in fine satiræ poeta aliquid addit de mala consuetudine, quæ efficiat, ut ad damnatos mores natura semper recurrat (v. 239), quam ob rem recte adfirmat, sceleratos homines gravissimas poenas aliquando esse daturos (vv. 244—247).

Iam se ad Calvinum poeta convertit (v. 5), quærens quid homines de fraude sentire putet. Et quoniam ille divitiarum satis habere videatur, hortatur eum, ne animo deficiat, præsertim cum et parva iactura sit nec rara istorum scelerum exempla. Non debere hoc mirari, qui iam sexaginta annos vixerit. Rerum usum optimum magistrum esse (v. 18); sapientiam, quæ libellis præcepta det, non contemnendam quidem esse, e vita tamen cotidiana meliora etiam præcepta sumi posse (v. 22). Ad eandem sententiam poeta infra revertitur (vv. 120 sqq.) Quale sit illud, quod discamus, si oculis uti velimus, inde a v. 23 nobis ostendit. Scelera ubique committi, risum movere, qui postulet, ut honeste vivant homines. Non fugit nos, Iuvenalem occasionem vetera et felicia tempora cum sua corrupta ætate comparandi semper captare, cuius rei antea multa exempla vidimus; iam altera occasio ad eius modi comparationem instituendam oblata est, nec mirum si utitur. Re vera hi versus (38—59) præclari sunt, in quibus de pristina illa probitate disserit, nec aliud iudicium esse potest de iis, qui his opponuntur (60—70).

Postquam hæc de fraudibus fallaciisque universe proposita sunt, poeta iterum se ad Calvinum convertens (v. 71) iubet eum bono animo esse, cum exiguum modo damnum acceperit: quid, si multo maius fuisset? Multos enim gravioribus damnis esse adfectos, neque tamen res repetere potuisse, quoniam homines fraudulenti iure iurando crimen defendere semper parati sint (vv. 78 sqq.) Sic poeta ad illam sententiam uberius explicandam redit, quam iam v. 36 paucis adumbravit, quem ad modum quæ in exordio de nefariis hominum sceleribus commemorantur novis inde a vv. 120 sqq. exemplis in meliore luce ponuntur. Si quis quærat, unde tanta hominum audacia proficiscatur, poeta respondet (vv. 86 sqq.), alios non credere deos esse, alios credere quidem esse, sed lentam eorum iram putare (v. 100), alios veniam criminis sperare. Nullum contra istorum audaciam inveniri auxilium (vv. 112—119).

Apud iudices certe non inveniri. Esse tamen magnum solatium, si quæ in vita cotidiana vulgo fiant considerentur. Recurrit igitur poeta, quod iam diximus, ad hoc solatium v. 120. Id suo iure facere potest, si quidem hac libertate materiæ disponendæ oratio distinguitur et variatur, neque est quod molestam hanc repetitionem appellemus, cum semper novum aliquid addatur, cuius rei exemplum est v. 144. Poeta de levi damno Calvini supra locutus est (vv. 7—8), deinde eum admonuit, multos pecunias maiores amisisse (vv. 71—74). Iam loqui incipit de aliis et gravioribus damnis, quæ non ad amissas pecunias tantum, sed ad mortis pericula referuntur

(vv. 144 sqq.) Semper tamen ad illud recurrit, quod in tota satira nominatim præcipit, tam communia hæc omnia esse, ut admirationem movere non debeant (vv. 162—173).

Transit deinde ad poenas (v. 174). Quam mite et placide de erroribus hominum iudicet, vel ex eo apparet, quod, qui interrogat, nullasne ab eius modi hominibus poenas expetere velit, ei respondet, minuti et infirmi animi esse acceptas iniurias ulcisci ac persequi. Iacturam enim manere, etiam si reus obtruncetur. Tamen qui fraudes commiserint non inultos futuros. Vv. 192—195 poeta igitur transit ad ea accuratius explicanda, quorum iam in exordio (vv. 2—4) mentio brevis facta est. Et profecto, si Iuvenali credimus, omnium gravissima poena est

nocte dieque suum gestare in pectore testem

Primum enim ostendit, vel ipsam voluntatem peccandi in culpa esse (vv. 199—208). Deinde perpetuam anxietatem et curas exponit, quibus dies noctesque conficiantur, qui fidem læserint. In ultima satira inde a v. 236 flagitiosos homines nullum sibi finem peccandi ponere confirmat; neminem uno peccato contentum esse, sic eos in summam miseriam tandem venturos, neque enim surdum aut cæcum quemquam esse deorum.

Mosengelius habet, quæ in argumenti satiræ tertiæ decimæ dispositione reprehendat. Si etiam nunc, inquit [1]), rationem duplicis recensionis sequerer, facere non possem, quin aut versus 38—70 aut 70—120 postea a poeta insertos esse putarem, cum argumentum eorum tam simile

[1]) G. Mosengel: Vind. Iuv. pp. 20—21.

sit, ut ovum ovo similius esse non possit. Quod ei vix assentior. Vv. 38—70 poeta ita disponit, ut primum de antiquis temporibus vv. 38—59 loquatur, deinde iis suae ætatis homines opponat vv. 60—70. Altero loco (vv. 70—120 vel potius 75—119, nam eos tantum respicit Mosengelius) sermo est de iis, qui peierant (vv. 75–85) deque causis, quibus fraudem suam defendere student (vv. 86—111), deinde vv. 112—119 adduntur, exclamationes deceptorum hominum continentes. Argumentum igitur non idem est utroque loco dicendum. Mosengelius: revolvitur, inquit, poeta vv. 75—120 ad ea, quæ iam antea pluribus verbis persecutus est: omnem probitatem evanuisse neque quemquam inveniri, qui peierare dubitet. Sed, quantum ego video, vv. 75—119 omnia ad eos, qui peierant, referuntur, quam ob rem dicere non possumus, poetam tantum modo ad ea revolvi, quæ iam antea persecutus sit, nam de falso iure iurando vv. 38—70 omnino nihil dicit, ne in v. 60 quidem, qui unus adferri possit; contra v. 36 paucis, non pluribus, verbis eos quasi præteriens notat, qui peierant nec ullos deos esse arbitrantur. Redit igitur quodam modo vv. 75—120 ad eam sententiam uberius et copiosius explicandam, quam v. 36 breviter significavit, sed non redit, ut disputationem, plane eandem rem repetendo, parum apte interrumpat. Hac disputatione (vv. 75—119) finita, inquit Mosengelius, poeta ad alterum illud argumentum, quod iam supra (v. 70) leviter tetigit, redit et ita pergit, ut nihil intermissum esse videatur. Est reditus quidam, non infitior, neque tamen quæ vv. 120 sqq. disputantur

tam arte cum iis iuncta sunt, quæ vv. 70—74 vel iam in exordio leguntur, ut, intermissis vv. 75—119, cohærentia ullo modo turbari dicatur. Vv. 120—173 amplificationem præterea continent et vel ipsi defendi possunt, quamquam non nego, commune eos aliquid habere cum iis, quæ antecesserunt. A vv. 70—74 ad vv. 75 sqq. poeta transire facile poterat cum, allatis illis maioris damni exemplis, ei in mentem veniret de variis artificiis disserere, quibus homines perfidiosissimi tot et tam magna furta obtegere solebant.

Duplicem tamen cum Teuffelio recensionem statuere Mosengelius non vult, cum repetitio eiusdem sententiæ apud Iuvenalem non certum duplicis recensionis indicium sit, id quod mihi quoque videtur.

Ribbeckius totam satiram a Iuvenale quidem abiudicat, vult tamen etiam declamationis, quam vocat, versus in ordinem certum et probabilem redigere, quam ob rem multa more suo damnat aut, si retinet, alio loco collocat [1]) Cum igitur hos versus (157—158) legisset:

> hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus urbis
> usque a lucifero donec lux occidat audit?

nulli post eos aptius inserendi ei visi sunt, quam qui apud ceteros editores in exordio leguntur 23—25:

> quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,
> perfidiam, fraudes atque omni ex crimine lucrum
> quæsitum et partos gladio vel pyxide nummos?

---

[1]) Ribbeck l. l. pp. 144—145.

Quæ omnia comprehendi censet ea sententia, quæ est vv. 26—27:

rari quippe boni, numero vix sunt totidem quot
Thebarum portæ vel divitis ostia Nili

Sine dubio ea collocatio, si a Iuvenale facta esset, probari posset. Iam vero cum apud eum alio ordine versus legantur, non opus est ad hunc, quem proposuit Ribbeckius, confugere, præsertim cum cohærentia sententiarum, si usitatum ordinem tuemur, non minus apta sit. Immo aptior, nam versus ille:

hæc quota pars scelerum, quæ cet.

melius eo loco ponitur, ubi enumeratio scelerum finita est, quam ubi enumeratio continuatur. Ribbeckium similitudine ea, quæ est inter verba: quæ tam festa dies (v. 23), et: usque a lucifero donec lux occidat (v. 158), allici patet. Amplificationem in illa interrogatione: quæ tam festa dies cet. inesse dicit. Non credo; commemorata sunt et latrocinia et incendia et furta sacrilega et veneficia et parricidia, quæ omnia cotidie a solis ortu usque ad occasum committi dicuntur.

Deinde Ribbeckius scriptorem satiræ tertiæ decimæ reprehendit, quod argumentum vv. 71—105 male disponat. Primum enim poetam dicere, multos maiore atque Calvinum damno esse adfectos (vv. 71—74). Confirmare deinde, facile esse deos contemnere, nullo igitur pudore prohibitos eius modi homines peierare (vv. 75—85). Tum addere esse, qui non putent deos esse (vv. 86—89), alios credere quidem deos esse, sed veniam peccatorum spe-

rare, quoniam lenta deorum ira sit (vv. 90 sqq.) Quarum sententiarum ordinem Ribbeckius ita mutare vult, ut vv. 75—85 post vv. 86 sqq. collocentur, quoniam quæ universe dicantur poni debeant ante ea, quæ nominatim exhibeantur. Mihi quidem ea, quæ vv. 86 sqq. leguntur, non magis universe dicta esse videntur, quam quæ vv. 75—85 inveniuntur. Cohærentiam versuum et sententiarum hoc modo defendo. Tu quereris, inquit poeta, decem sestertia intercepta, sed sunt, qui pecuniam multo maiorem perdiderint (vv. 71—74). Quo modo id fieri potest? Nimirum mutuam sumunt pecuniam fraudulenti homines, sed cum a creditore repetitur, negant se accepisse. Itur in ius: magna voce negant, immo peierant, iurant per Solis radios, per fulmina, per omnes deos (vv. 75—85). Quo modo id audent? Dicam. Alii non putant deos esse, peierare igitur non dubitant; alii putant esse, sed lucri tam cupidi sunt, ut poenas a diis missas non curent; alii denique sperant sibi ignosci posse. Quo fit, ut hi omnes magna animi constantia falsum iurent atque ita liberi evadant (vv. 86—119).

Quænam hic universe dicta sunt, quænam proprie? Credo inter duos locos ita non distinguendum esse, nec dispositionem versuum, bonam et probabilem, mutandam.

Sic Iuvenalem in hac satira dolorem tristis amici mitissima consolatione levare videmus, mitiore fortasse quam par erat in ea civitate, in qua tamquam pestifer morbus corruptela in dies latius manaret et funderetur. Quoquo modo se res habet, Iuvenali certe laudi est, quod inimicis ignoscere quam odio implacabili eos persequi

malebat. Et quoniam satira tertia decima hoc consilio scripta est, delectamur ea et poetam admiramur, qui in tanta malorum scelerumque colluvione maleficos homines de animi conscientia admonere ausus sit. Melior est hæc satira, et quod ad consilium poetæ et quod ad ipsam formam et dispositionem attinet, quam ut cum Ribbeckio errata tantum et inania verba declamatoris in ea deprehendamus. Atque si Bergmueller de ingenio poetæ cum despicientia quadam loquitur: satis compertum habemus, inquit, Iuvenalem, cum simplicem plerumque rationem argumenta ex gravitate distinguendi sequatur, non ea ingenii alte evolantis et ubertate et fecunditate fuisse, ut orationem ab omni ieiunitate et languore avocaret neque ad putidum sæpe molestumque delaberetur artificium;' immo ex particulis quoque in transitionibus ab eo usurpatis, quam operoso labore saturas composuerit, elucet [1]) — hac saltem in satira putida illa et molesta artificia non tanta esse videntur, ut iis officiant, qui eam legendo scriptorem et candide sentientem et candide dicentem cognoscere velint. Et timeo profecto, ne in ceteris quoque satiris, qui ita iudicent, multa non inveniant, quæ tam severo iudicio suffragentur.

Quamquam severissimæ in satira tertia decima res tractantur atque in vitiis parum iucundis notandis poeta versatur, tamen more suo ioca plena facetiarum serio sermoni admiscendi se abstinere non potest, cum recte sibi persuaserit, orationem sic facilius animis eorum in-

---

[1]) Bergmüller l. l. p. 21.

fixam, qui audiant, esse hæsuram. Primum enim in iis versibus, ubi sermo est de antiquis illis et felicissimis temporibus (vv. 38—52), multa de diis et deabus iocose dicta reperimus, quæ quidem nimis audacia et proterva videri possint; sed quid Iuvenalis, si res attentius exquiratur, de numine deorum sentiat, perspectum nobis est, ut id genus dicta, qualia hic habemus, ad vivum resecare non opus sit. De antiquis fabulis deque usitatis perceptisque cognitionibus deorum iocari potest: de numine eorum non item. Alter est locus (vv. 64—70), ubi probos homines tam raros esse dicit, ut, qui inveniantur, cum quovis monstro conferri possint, quæ omnia mirum in modum exaggerat, sed Iuvenalem agnoscimus. Quod etiam valet de iis, quæ paulo infra (vv. 78—85) leguntur; tota illic armamentaria cæli perscrutatur. Adde vv. 112—119, qui versus consuetudinem poetæ scribendi mirum quantum produnt maximamque similitudinem habent cum aliis, qui in prioribus satiris leguntur. Quæ omnia probant Iuvenalem sibi constare. Composita est, inquit Heinrichius [1]), hæc satira stilo vere Iuvenaliano et ea indignatione, quæ admixtis salibus ac facetiis temperatur. Recte iudicat.

Iam transitiones huius satiræ animadvertamus. Quæritur, subitæne sint et improvisæ necne. Non placent Weiseo, qui de transitionibus Iuvenalianis universe his verbis iudicat. Saturarum partes, inquit, non arte inter se conexas et aptas esse neminem fugere potest,

---

[1]) Heinrich l. l. I. p. 121.

qui Iuvenalis carmina diligentius perlegerit. Haud raro enim nullo transitu parato, nullis coniunctionibus adhibitis partes componuntur ac ne internis quidem vinculis conectuntur, ita ut oratio plane abrupta efficiatur [1]).

Quod ut exemplis illustret, duas satiras, quintam et decimam eligit, nam ex iis maxime apparere dicit, poetam et in prioribus et in posterioribus satiris accuratam disponendi rationem plane neglegere. Vellem alias elegisset: in satiris enim quinta et decima præ ceteris accurata argumenti disponendi ratio adhiberi mihi videtur. Vellem viri docti illam neglegentiam poetæ, quam appellant, æquiore studio impugnarent.

Transitiones apud Iuvenalem, nullis coniunctionibus adhibitis, sæpe fieri, non nego; neque tamen ideo obscura oratio est. Singulas vero partes satirarum non raro ita componi, ut ne internis quidem vinculis conectantur, nego. Transitiones, nullis coniunctionibus adhibitis, cum in aliis tum in satira decima inveniuntur. Eam ergo, Weiseo adhortante, inspiciamus. Iuvenalis ibi, ut vidimus, perversa hominum vota improbat. Transitiones his maxime locis notandæ sunt: vv. 56, 114, 133, 188, 289. Suntne molestæ? Sine dubio, multi enim eas reprehendunt. Coniunctiones omissæ sunt. Ergo obscura fit oratio? Non intellego, quid sibi velit illa reprehensio: aut ego nihil video, aut hæ ipsæ transitiones non modo non vituperandæ sunt sed quam maxime laudandæ. Quid apertius, quid distinctius, quid denique ex omni parte

---

[1]) Weise l. l. p. 10.

aptius, quam in hac satira tales transitiones, quales hæ sunt? Adhibe coniunctiones, necte quocumque modo singulas inter se partes: obscurior non fiet sententia, at profecto ne clarior quidem. Obscurari oratio potest, si ineptæ transitiones ad ineptas res inducendas usurpantur. Inepta igitur sunt, quæ Iuvenalis in satira decima de variis hominum votis disputat aut ineptæ transitiones, quibus una parte examinata ad alteram transit? De satira quinta idem atque de decima iudicium facio; subitæ transitiones ibi quoque sunt et coniunctionibus nudæ, sed ob hanc rem satiram minus apte compositam non dixerim.

Similia exempla transitionum male factarum in satira tertia decima his locis inveniri, Weiseus contendit: vv. 5, 11, 23, 31, 71, 86, 162, 199. Quæ omnia examinare longum est, unum vel alterum eligamus. Quæ igitur coniunctio v. 11 desideratur, aut cur hoc vitium compositionis appellandum? Neque enim omnes versus per coniunctiones induci debent. At fortasse obscurior sermo est factus? Non credo; ego nullum hoc loco vinculum desidero neque difficile esse mihi videtur intellegere, quid poeta dicere velit. Quod vitium v. 86 indagari potest? Poeta vv. 75—85 de periuriis locutus est, transit v. 86 ad causas significandas, cur fraudulenti homines peierent. Dicit igitur:

sunt in fortunæ qui casibus omnia ponant — —
atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt

Ne coniunctio quidem deest; quod v. 86 ea non ponitur, sed ad v. 89 servatur, poetæ sine dubio vitio esse non potest. Vv. 126—161 Iuvenalis scelera ubique

committi adfirmat, non mirum igitur esse, si Calvinus quoque damnis adficiatur. Argumentum huius loci paucis verbis ita definiri potest: neminem ea mirari, quæ communia sint. Pergit poeta v. 162:

quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis cet.

Hæc transitio post ea, quæ antecedunt, non improvisa est nec vitiosa appellanda. Satis apte inter se vv. 126—161 et vv. 162—173 cohærent, cum similia fere ea sint, quæ utroque loco commemorantur.

Esse in hac satira versus, non multos illos quidem, sed tamen nonnullos, qui ab editoribus vulgo pro spuriis habeantur, constat, quorum versuum hic primus occurrit (90):

est alius metuens, ne crimen poena sequatur

Iahnius et Weidner versum uncis includunt, Heinrichius et Hermannus eum defendunt. Sive eum retinemus sive respuimus, ceteri inter se bene congruunt versus. Interpolatum esse tamen non negaverim; scriptus esse videtur ab aliquo, qui vv. 91 sqq. melius explicare vellet quique ob eam causam breve eorum quasi summarium præmitteret, quod, cum etiam remoto hoc summario intellegi possint, supervacaneum est.

Sequitur v. 166:

nempe quod hæc illis natura est omnibus una

Damnatur a Weidnero, cui assentior, dum modo versum ob eam solam causam damnare liceat, quod inepte inter reliquos interpositus esse videatur. Recte monet Weidner,

posse tolerari, si post omnia illa exempla legeretur; iam vero perperam fecisse Iuvenalem, cum nonnullis tantum exemplis allatis eum inculcaret, deinde nova exempla monstrare pergeret. Simile iudicium Pinzgeri est: eo clarius, inquit, hic versus interpolatorem prodit, quia madidus cirrus in cornua tortus non ad naturam sed ad artem pertinet [1].

Addo, quod supra dixi, posse respui, si omnes eos versus respuere liceat, qui, quamvis in codicibus sint, tamen male compositi videantur atque poeta indigni: timeo ne multi versus in dubium revocari possent, si hoc sufficere statueremus.

Proximus versus est 183:

quantulacumque adeo est occasio, sufficit iræ

Frigidus sane versus, inepte positus inter indoctos illos homines et, qui iis opponuntur, magnos philosophos. Iahnius eum delet, Hermannus retinet, maiore iure, arbitror, ille quam hic. Heinrichius, qui est mos eius, audacter asseverat, monachum aliquem ostendere voluisse, se quoque versum hexametrum componere didicisse.

Venimus ad vv. 187—189:

plurima felix
paulatim vitia atque errores exuit omnes,
prima docet rectum sapientia

quos cum Heinrichio et Hermanno defendere noluerim. Quibus versibus remotis, quam apte versiculus 189 et quæ sequuntur verba conveniant cum iis, quæ de Socrate

---

[1]) Pinzger l. l. p. 13.

antea dicta sunt, quis non videt? Si retinentur, male, si quid video, a vitiis et erroribus et recto illo, quæ omnia universe posita sunt, ad ultionem transitur; neque enim belle dicimus, sapientiam rectum docere, quoniam ultio minuti animi sit. Recto illi opponi debebat non ultio tantum, sed omnino quidquid rectum non est. Porro verbum, quod est ultio, aperte coniungendum est cum iis versibus, in quibus de Socrate agitur. Sic oppositio manifesta et laudabilis est. Ribbeckius vv. 187—189 a Iuvenale abiudicat [1]), primum quod molestam tautologiam contineant: plurima vitia atque errores omnes. Quod argumentum nihil valet. Istam sermonis abundantiam in omnibus satiris Iuvenalianis, et prioribus et posterioribus, passim inveniri, Weiseus uberrimis exemplis demonstravit [2]). Deinde Ribbeckius non habet, quod sapientiæ opponatur. Recte hoc dicit, nam obscura sine dubio sententia horum versuum est. Gravissimum vero argumentum omisit: non modo inter se male convenire hos versus, sed etiam male cohærere et cum iis, qui antecedunt, et cum iis, qui sequuntur.

Restat v. 236:

mobilis et varia est ferme natura malorum

Iahnius eum spurium putat, sed hoc ei minime assentior. Poeta hoc loco transit ad exponendum, qualem exitum mali et perfidi homines sint habituri. Quæ pars satiræ illo versu bene inducitur. Sic poeta VI. 184,

---

[1]) Ribbeck l. l. p. 44.

[2]) Weise l. l. pp. 29—34.

postquam superiores versus interrogatione finivit, transit ad ea, quæ deinde demonstrare vult, interiecto versu, in quo sententiam universe effatur. Cfr. VI. 242, 268 al.

Habemus quæ adnotanda esse videantur, antequam satiram tertiam decimam relinquamus. Redimus ad v. 28:

> nunc ætas agitur peioraque sæcula ferri
> temporibus

Non amplector lectionem, quæ est in pω, nona pro nunc, quod in cod. P. scriptum est. Laudo Weidnerum, qui hanc lectionem contra Heinrichium defendit. Nona vel ideo displicet, quod vix intellegimus, cur id potissimum attributum poeta elegerit, neque mirum est, homines tam seræ ætati nullum nomen ex metallis sumere potuisse, neque opus erat dicere, nonam ætatem peiorem esse ferri temporibus, quæ quartam ætatem effecerunt. Concedo attributum verbi, quod est ætas, non bene desiderari, tamen mutuum sumi potest ex iis, quæ sequuntur. Quod apud Hermannum legitur [1]), illud nunc eminentem locum, quem in principio versiculi tenet, tueri non posse, postquam eadem tempora iam in antecedentibus tractata sint, non approbo, nam opponit poeta sua tempora pristinis illis, quorum inde a v. 38 mentio fit: in quo versu, ut par est, verbum, quod est quondam, primum locum tenet eodem modo, quo v. 60 positum est illud nunc, quo verbo poeta ad vitia suæ ætatis reprehendenda transit.

Vv. 38—59 cum VI. 1—20 si conferemus, similitudinem tantam intercedere videbimus, ut ab eodem

---

[1]) Hermann in præf. edit. p. XXXI.

poeta hæc scripta esse concedere cogamur. Quem ad modum in exordio satiræ sextæ de pudicitia agitur, ita altero loco de probitate; hic poeta de virguncula Iunone iocatur, illic de Iove nondum barbato, Saturnus utroque loco diadema nondum posuit, cavillatur Iuvenalis cum diis et deabus; quin etiam et hic et illic glandes cibus præcipuus illorum temporum hominibus fuisse dicuntur. Neque tamen singula verba tantum et enuntiata communia sæpe sunt, sed omnino totus ille color, quo utitur poeta in antiquitate depingenda, prorsus idem est similique ratione temperatus.

Qui satiris Iuvenalianis operam dant omnes sciunt, quanto studio, quanto ardore Haeckermannus ut demonstret enitatur, lectiones codicum ω signatorum semper iis præferendas esse, quæ in cod. P. inveniuntur. Quod studium Friedlaender non sine causa reprehendit [1]). Repperi apud Haeckermannum adnotationem ad vv. 53—55 factam [2]):

improbitas illo fuit admirabilis ævo,
credebant quo grande nefas et morte piandum,
si iuvenis vetulo non adsurrexerat

Pro quo (v. 54) scribit quod, quæ lectio est in codd. ω; negat enim hanc sententiam, in qua amplificatio quædam inest, pronomine relativo apte coniungi cum versu superiore. Quis id concedat? Sed cum addit idem, verbum

---

[1]) Friedländer: Jahresb. ü. d. röm. Satiriker p. 310 (Bursians Jahresb. V. 1877).

[2]) A. Häckermann: Zur Kritik und Erklärung Juvenals, Greifswald 1877 p. 36.

quod causalem significationem non habere, sed idem atque aliquod valere, facere non possum, quin hoc certe loco illam meliorem, quod ait, lectionem codd. ω minoris æstimem. Immo plane necesse est lectionem, quæ est quo, retinere, ut vv. 53—54 inter se cohæreant et ut v. 54 causam nobis præbeat, cur improbitas illo ævo rarissima fuerit. Poeta enim dicere vult, improbitatem ignotam fuisse, quod alter alterum summa reverentia prosequeretur. Si quo abicimus, miro modo v. 54 præcedentem versum excipit.

Vv. 60—70 abundantiam quandam habent, sed quam poetæ condonare possimus, cum iocoso genere scribendi utatur, neque est cur Ribbeckius [1]) vv. 120—123 sat. II. quasi meliores cum illis conferat; hanc saltem libertatem poetæ concedimus, ut numerum versuum suo arbitrio augeat deminuatve. Præterea vv. 60—70 molesti non sunt aut iisdem imaginibus repleti, et quod ad abundantiam illam a Ribbeckio vituperatam attinet, apud Iuvenalem ea sæpe occurrit. Cfr. III. 26—33, X. 220—232 al.

In iis, quæ vv. 71—119 continentur, multa exempla rhetoricæ Iuvenalis disciplinæ videmus, quæ exempla cum aliis locis iam examinaverimus, nunc paucis tantum attingemus. V. 72 transitio fit per formulam, quæ est quid si. Cfr. VIII. 183—184:

> quid si numquam adeo foedis adeoque pudendis
> utimur exemplis, ut non peiora supersint?

Utroque loco amplificatio est. V. 76 idem illud aspice offendimus, quod verbum usurpatur etiam V. 80, VI.

[1]) Ribbeck l. l. p. 34.

261. Paulo infra (v. 82) addit scriptum est eodem modo quo XII. 46 adde; recte igitur Bergmueller monet, manifestum, esse, poetam formulam adde memoria quidem tenuisse, sed ad verbi personam in versu antecedente: per Solis radios Tarpeiaque fulmina iurat, conformasse [1]). Cfr. X. 43.

Amplificatio est vv. 84—85:

si vero et pater est, comedam, inquit, flebile nati
sinciput elixi Pharioque madentis aceto

ubi idem poetæ ante oculos obversatum est, quod XII. 118 sqq. V. 98 interrogationem, a verbis quid enim incipientem, rursus invenimus, cfr. infra v. 234.

Vv. 106—108 sine dubio legendi sunt:

sic animum diræ trepidum formidine culpæ
confirmat, tunc te sacra ad delubra vocantem
præcedit, trahere immo ultro ac vexare paratus

Si lectionem, quæ in Pω est confirmant, retinemus, concedendum est, poetam hoc loco numerum mutavisse, quod contra morem eius esse Kiærius adfirmat: aut enim poeta, inquit, uno vitii alicuius exemplo prolato, per pluralem numerum omnes homines, qui eo laborant, complectitur, aut toto genere commemorato, exemplum sumit[2]). Ipse confirmant scribit, sed subiectum huius verbi non improbos homines esse dicit, sed voces, quæ sunt diræ culpæ, quod tamen defendi vix potest, cum culpæ animum trepidum male confirment, præsertim cum diræ

[1]) Bergmüller l. l. p. 31.
[2]) Kiær l. l. p. 222.

sint, et illa verba aptius cum formidine coniungantur. Ad. vv. 112—119 cfr. II. 126—132, VI. 393—395.

Venimus ad vv. 120—173. Vix opus est ea omnia repetere, quæ de digressionibus Iuvenalianis supra diximus. Notissimæ sunt hæ digressiones, ubi Iuvenalis orationem interrumpit, ut quasi in parenthesi aliquid addat, quod ad adversarios convincendos suamque sententiam comprobandam valeat. Quarum digressionum exemplum est vv. 129—134. Si hæc parenthesis reicitur, cohærentia eorum, quæ vv. 126—128 sunt, cum iis, quæ post v. 134 leguntur, nullo modo læditur; si retinetur, quæ vv. 126—128 proponuntur, quamquam explicationem non desiderant, tamen distinctius explicantur. Sed parenthesis iam a v. 129 incipit, ut I. 112 his verbis inducitur:

> quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
> maiestas

non a v. 130, quod dicit Heinrichius, qui post palma commate, post damno puncto distinguit, quod sententia post damno plena sit. Quamquam v. 129 etiam cum iis, quæ præcedunt, communitatem habet, ut X. 146:

> quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris

tamen hoc loco multo melius iis datur, quæ sequuntur; neque enim v. 130 coniunctio, quæ est et, novam sententiam bene inducit. Neque recte Heinrichius iudicat, cum v. 134 languidum appellat. Finit hic versus, ut mos est Iuvenalis, sententiam aliquid addendo, quod verbis præcedentibus contrarium sit.

Simile atque hic de nummis iudicium Iuvenalis aliis locis fecit, ut I. 112, V. 136, VI. 139, XIV. 205 sqq.

Ea pars satiræ, quæ iam sequitur, incipit ab interrogatione (v. 174), iis admodum simili, quas habemus I. 158, V. 156, VI. 161, 286, X. 346. Occupationis exemplum est v. 180; induci apud Iuvenalem occupatio solet particulis sed (ut VI. 38, 136, VII. 105, X. 324) vel tamen (VI. 55). Circuitionis exemplum v. 185 habemus. Quod de mulieribus dicitur v. 191 prodit Iuvenalem. Usitatissimæ interrogationes vv. 234—235 sunt, paulo infra (v. 240) aliæ occurrunt. Gradus illi et progressus, qui v. 243 significantur, conferri possunt cum eo, quod monet poeta II. 82 sqq.

Satira XIV.

Dispositio argumenti hæc est. Plurima vitia esse dicit poeta, quibus parentes ipsi liberos assuefaciant (vv. 1—3). Quod ut exemplis comprobet (vv. 4—30), primum ostendit, filium, si pater alea ludere amet, mox eodem ludo delectari (vv. 4—5); deinde, si ganeo pater sit, filium nihil antiquius habere, quam ut ipse quam lautissime cenet (vv. 6—14). Tum aliud exemplum adfert patris duri et crudelis: huius liberos brevi et ipsos crudeles et inexorabiles esse futuros demonstrat (vv. 15—24). Atque ut matres quoque in culpa sæpe esse sciamus, addit, filiam omnino morum integritatem servare non posse, si libidinosa et voluptatibus dedita mater eius sit (vv. 25—30). His exemplis allatis manifestum est, quod iam dixit poeta, liberos malis exemplis domesticis corrumpi, quamvis non neget interdum fieri posse, ut etiam pessimi parentes bene moratos filios habeant (vv. 31—37).

Quam ob rem exclamat (v. 38):

abstineas igitur damnandis

Quod cur moneat iam novimus ex iis, quæ antecesserunt, sed poeta hoc iterat, quo melius mentibus inculcetur

(vv. 39—43). Petit igitur a parentibus, ut quam diligentissime hæc omnia observent, quæ iusserit (vv. 44—49), quod nisi faciant multa eos incommoda esse habituros ostendit. Posse enim filium aliquid committere, quod dignum sit ira censoris, tum pater eum castiget necesse esse (vv. 50—55), castigare vero quo modo possit, cum ipse in culpa sit filiumque male instituerit (vv. 56—58)?

Iam poeta ad eandem rem ex alia parte considerandam transit (vv. 59—85). Primum ostendit, quanta diligentia, si hospes venturus sit, curemus, ut omnia parata et munda sint, ne quid hospes inveniat, quod foedum sit (vv. 59—67), tum quærit cur eadem diligentia non curemus, ut filius sanctam sine labe domum vitioque carentem aspiciat (vv. 68—69). Bene quidem esse filium habere, magni tamen esse momenti, qualis hic sit (vv. 70—72). Sic poeta ad id revolvitur, quod caput argumentationis dici potest:

plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc tu moribus instituas (vv. 73—74)

Ipsa animalia, si ad ea oculos flectere velimus, nobis exemplis esse. Ciconiam pullos serpentibus lacertisque nutrire, eadem illos animalia sumptis pinnis mox quærere (vv. 74—76). Vultures cadaverum reliquias in nidum ad fetus adferre, cadaveribus se pullos saturare, cum ipsi e nido evolare audeant (vv. 77—80). Generosas aquilas lepores et capreas venari prædamque in nidum ferre, mox progeniem maturam ad eandem prædam festinare, quam primum rupto ovo gustaverit (vv. 81—85).

Pergit poeta pluribus exemplis sententiam suam confirmare. Exempla hominum attulit, attulit animalium quoque, iam ad homines redit (vv. 86—106). Ac primum quidem Cretonius ille inducitur, qui ædificator erat et villas splendidissimas ubique sibi exstruere solebat. Quibus sumptibus immodicis rem imminuit, tamen hereditatem admodum magnam filio reliquit, quam totam ille eadem luxuria dissipavit (vv. 86—95). Deinde poeta Iudæos in scænam inducit, ut ostendat, quam firmum illud vinculum sit, quod filios cum patribus coniungat: filios enim non modo virtutes, verum etiam errores parentum summa pertinacia imitari (vv. 96—106).

Hæc prior pars erat satiræ, ea vitia complectens, quæ liberos sponte imitari dicit poeta; iam transit ad avaritiam, quod vitium eo a ceteris differre contendit, quod filii, etiam si animus ad avaritiam non inclinet, tamen eam exercere iubeantur, cum parentes honestam potius quam inhonestam eam esse arbitrentur. Primum enim hoc vitium eos fallit specie quadam virtutis (vv. 107—114), deinde homo avarus a civibus, tamquam egregius adquirendi artifex, bene audit (vv. 115—118), tum pater eodem errore deceptus, qui avari sint, eosdem felices quoque esse putat et iuvenes hortatur, ut istam viam tenere pergant (vv. 119—122). Quam ob rem eos hoc vitio, quo ipse laborat, dedita opera imbuit (vv. 123—134).

Quæ omnia ut vana et falsa esse ostendat poeta, insatiabilem esse cupiditatem divitiarum demonstrat semperque plus appetere, qui multum habeat (vv. 135—144),

immo scelere se id genus homines non raro obstringere, cum insana cupiditate occæcati nihil non concessum opinentur (vv. 145—155).

Sint tamen divites, inquit Iuvenalis; num ergo morbos quoque et curas et mortem fugere possunt (vv. 156—160)? Quondam parvo homines contenti erant (vv. 161—171), nunc modestia illorum irridetur, hinc scelerum causæ, neque enim ullum vitium funestius est quam sæva immodici census cupido (vv. 172—178). Ad parsimoniam maiorum laudandam iterum redit poeta (vv. 179—188); felicibus illorum temporibus avaritiam et lucri cupiditatem suorum æqualium iterum opponit (vv. 189—209).

Hos igitur parentes bono animo esse non sine dissimulantia iubet, discipulum magistro meliorem futurum in quovis genere scelerum confirmans (vv. 210—224). Non posse parentes sese defendere, semper enim eos in culpa esse, cum habenas remittere non dubitent; ignem ergo, quem ipsi accenderint, cuncta rapientem visuros ipsosque in communi rerum perturbatione perituros (vv. 225—255).

Tam inepta, tam ridicula horum hominum studia esse poeta dicit, ut, qui labores eorum intueatur, theatra desiderare non possit (vv. 256—283). Scilicet insaniæ multa genera esse, neque eorum minimam esse dicendam, qui ut opes augeant nullum vitæ periculum reformident (vv. 284—302). Deinde poeta nobis ostendit, quanto metu, quantis curis hæ divitiæ nocte dieque a possessoribus custodiantur (vv. 303—308). Illis curis Diogenem liberum fuisse (vv. 309—314), sed omnes homines, dum

modo prudentes sint, eadem felicitate frui posse (vv. 315—316).

His rebus expositis et examinatis Iuvenalis ad epilogum transit (vv. 316—331). Vive, inquit, parvo contentus, compara, quo famem et frigus defendas, reliqua omitte (vv. 316—321); si tibi nimis parcus videor, non impedio, ne censum equestrem aut senatorium comparare coneris; si eo non contentus eris, ne Croesi quidem divitiæ sufficient (vv. 322—331).

Duas igitur res a Iuvenale in satira quarta decima tractari videmus, minime inter se dissimiles et alienas, sed arte coniunctas. Loquitur poeta de prava liberorum institutione et de iis periculis, quæ in malis exemplis domesticis latent. Hæc ita disponit, ut primum (vv. 1—106) de iis vitiis disserat, quæ liberi, parentum exemplis corrupti, sponte ipsaque natura duce imitantur, deinde (vv. 107—331) ad avaritiam, omnium vitiorum tamquam fontem et originem, transeat; quam separatim pertractat, cum parentes non modo exemplis verum etiam præceptis liberos hortentur, ut illam viam ingrediantur. Hæc dispositio non vituperanda est, neque, si singula persequemur, multa, quæ reprehensione digna sint, inveniemus. Iterationes sententiarum, quæ in hac satira non raro occurrunt, fortasse molestæ videri possunt, sed neque id a poetæ genere scribendi alienum est, neque obliviscendum est, poetam in iis vitiis examinandis versari, quæ ante omnia gravissima esse censet, quam ob rem mirum non est, si omnes nervos contendit, ut animos eorum, qui audiunt, commoveat penitusque mentibus eorum verba

sua infigat. Eius modi iterationes sunt vv. 38—40, 73—74, reditus ad maiores vv. 179 sqq., 244—245 (Cfr. 227 sqq.), sed tolerari facile possunt, nec orationis tenori obstant. Verum est iudicium Heinrichii: virtutes huius carminis, inquit, a multis cognitas et laudatas, si consideres, sunt sane hic quoque communes laudes Iuvenalis, vel in argumento, ceteroqui parum novitatis habente, notabiles satis et insignes [1]).

Haud scio an hæc satira ea sit, in qua maxime serio sermone poeta utatur. Quem antea iocantem salsaque irrisione adversarios persequentem audivimus, is iam tristis, austerus, gravis factus est. Sed non tam severus est, ut non interdum cavilletur. Qui legerit vv. 26—28, 127—134, 199, 208—209, 241—243, 251, concedet, Iuvenalem ne in hac quidem satira a se plane desciscere. Quamquam facile non est in vitiis flagitiisque castigandis iocari. Præterea supra diximus, quid inter priores satiras Iuvenalianas et posteriores interesset. Sermo ipse prodit, non eundem in his atque in illis Iuvenalem audaciam improborum hominum insectari.

Quod ad formam dialogi attinet, Iuvenalis ea etiam in satira quarta decima utitur, quamquam hoc neque multis locis fit, neque ita dialogus adhibetur, ut longa colloquia habeantur, sed ad orationem variandam poeta more suo interrogationes ficti adversarii inserit aut exclamationes, quibus gravior argumentatio et accuratior fiat. Vv. 224—225 id genus exclamationem invenimus,

---

[1]) Heinrich l. l. I. p. 131.

aptam sane ad nova argumenta elicienda. Eodem consilio vv. 153—155 iis versibus a poeta admiscentur, qui antecedunt. Vv. 179—188 monita et præcepta eorum, qui quondam vixerunt, audimus, porro vv. 191—207, qualia præcepta æquales poetæ dare soliti sint, accipimus. Vv. 60—62 dominus servos alloquitur, vv. 292—295 mercator loquens inducitur.

Longe aliam huius satiræ dispositionem Ribbeckius fuisse censet. Satira XIV, inquit [1], utrum a Iuvenale scripta sit necne hic non quæro: sed antiquo tempore eam genuinarum eclogarum volumini adiunctam fuisse Prisciani Servii Eutychii testimoniis firmatur. Eius prior pars, quæ est usque ad v. 86, cum per has paginas videatur distributa fuisse:

a	vv.	1—14 = 14		*e*	vv.	59—72 = 14
b	„	73—85 = 13		*f*	„	44—58 = 15
c } *d* }	„	15—43 = 29				

soluta compage singula sic confusa esse conieci:

a c d f e b

Puncto inciditur post omnes eas satiræ partes, quas litteris *a*—*f* Ribbeckius signavit; non nego: sed ea causa non satis gravis esse videtur, qua commoti ordinem versuum turbemus, nam etiam si ordinem a ceteris editoribus comprobatum defendimus, eadem puncta habemus. Restat igitur ut videamus, num argumentum ipsum mutationi illi a Ribbeckio factæ suffragetur. Meliorne fit a v. 14

[1]) Ribbeck l. l. p. 178.

transitio ad v. 73 quam ad v. 15? Vix crediderim. Enumeratio exemplorum vv. 1—14 continuatur vv. 15 sqq., ubi crudelem patrem et libidinosam matrem post aleatorem (v. 4) et ganeonem (v. 10) invenimus; ea enumeratio interpositis vv. 73—85 abrumpitur. Qui vv. 73 sqq. præterea cum iis bene iunguntur, qui præcedunt, in quibus poeta dicit, gratum esse, quod pater civem patriæ dederit, pluris autem referre, utrum bonus an malus ille civis sit:

plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc tu
moribus instituas

An vv. 15—43 a vv. 1—14 separabimus, quod in illis poeta de parentibus, quorum nomina dicit, de Rutilo Largaque, disputat, in his non item? Minime, nam in sexta satira Iuvenalis ita agit, ut exempla notarum mulierum et ignotarum promiscue usurpet.

Cur post v. 43 melius sequentur vv. 59—72 quam vv. 44—58? Cum poeta dixerit vv. 38 sqq.:

abstineas igitur damnandis — —
— — quoniam dociles imitandis
turpibus ac pravis omnes sumus

peropportune pergere potest vv. 44—45:

nil dictu foedum visuque hæc limina tangat,
intra quæ pater est

multo melius sane, quam si vv. 59—72 inserat atque ita, ut iam diximus, aptam a vv. 70—72 ad vv. 73—74 transitionem lædat. Deceptus est sine dubio Ribbeckius vv. 68—69:

illud non agitas, ut sanctam filius omni
aspiciat sine labe domum vitioque carentem

post quos igitur addere vult vv. 44 sqq.:

nil dictu foedum visuque hæc limina tangat
intra quæ pater est

sed obstant, nisi fallor, versus 70—72. Hoc etiam vidit Ribbeckius, nam alio loco [1]) hos versus sine detrimento posse damnari confitetur aut post v. 58 collocari; ut tamen eos excuset, addit posse eos apud Iuvenalem tolerari, cum carmina eius et verborum et sententiarum copia abundent. Omnino non video, cur tanto studio enitatur, ut ordinem versuum permutet. Omnia ad suum arbitrium novat, quæ apta non videntur secernit: difficultas non magna est in eo labore, quod haud scio an etiam de utilitate valeat.

Iniquus porro iudex Ribbeckius est, cum de satira quarta decima universe disputat [2]). Quanto opere tales versus, quales sunt 25—28:

Largæ
filia, quæ numquam maternos dicere moechos
tam cito nec tanto poterit contexere cursu,
ut non ter deciens respiret

in sermonem Iuvenalianum quadrent, non videt: iocatur de iis. Ineptum et ridiculum nescio quid non modo in vv. 145—149 deprehendit, verum etiam in commemoratione mercatoris illius avari, quem poeta in undis luctan-

[1]) Ribbeck l. l. p. 146.
[2]) Ib. pp. 35—36.

tem facit vv. 295—297; contraria inter se ideoque intolerabilia esse dicit, quæ vv. 153—155 leguntur:

tunicam mihi malo lupini,
quam si me toto laudet vicinia pago
exigui ruris paucissima farra secantem

Sunt sane quodam modo contraria illa quidem, sed hæc hyperbole tamen sine ulla difficultate intellegitur. Ille enim dicit se bonam apud cives existimationem cum paupertate coniunctam nihili facere. Hæc omnia ut gravia non sunt, ita defensione non egent.

Quam ob rem cum ordinem earum partium, in quas hæc satira dividi potest, confusum appellare nolimus, sequitur, ut ea quoque nobis displiceant, quæ de transitionibus a Iuvenale factis attulit Weiseus [1]). Copiose de iis non disputat neque singulas transitiones examinat; universe tantum dicit, illud compositionis vitium, quod in neglegentia omnium vinculorum cernatur, in satira quoque quarta decima investigari posse et hos locos enumerat: 15, 25, 44, 59, 74, 77, 86, 96, 256. In qua re hoc tantum miror, non potuisse etiam plura exempla adferre. Vv. 15 et 25 particula copulativa omissa est, sed nemo est quin intellegat, Rutilum et Largam non minus commode induci, quam in prioribus versibus aleatorem nebulonemque, quamvis inter hos duos particula, quæ est nec (v. 6), inculcata sit. Coniunctio copulativa v. 44 desideratur, sed etiam v. 47. At nova pars satiræ non incipit a v. 47, incipit a v. 44? Ita, sed non tam aliena

---

[1]) Weise l. l. p. 11.

ea sunt, quæ inde a v. 44 leguntur, ab iis, quæ antecedunt, ut vel omissa coniunctione addi non potuerint. Hoc etiam de ceteris locis a Weiseo allatis valet: recte fecit cum animadverteret, particulas copulativas non adhiberi, sed hoc reprehendere non debuit.

Manifesta vestigia amplificationis a Iuvenale in vitiis commemorandis accurate observatæ in hac satira esse, Bergmueller contendit. In satura quarta decima, inquit, poeta a. v. 4 usque 30 vitia ex malis parentum præceptis profecta describens gradatim ad maius pergit, cum in vv. 25—30 de libidine et adulterio loquatur. Eamque rationem tenet a v. 190 explicans parentes liberos ad quæstum quocumque modo capiendum impellere, cum in vv. 199—205 sordidissimam lucri viam laudandam esse peroret [1]). Quod de vv. 199—205 dicit, approbo, sed in vv. 4—30 illam amplificationem non invenio, cum poeta ab aleatore incipiat, deinde ad eum transeat, qui exquisite cenare cupiat, quod sine dubio minus grave vitium est.

Multa sunt in hac satira sententiæ, quæ etiam aliis locis inveniuntur quæque ostendunt, satiram quoque quartam decimam a Iuvenale compositam esse. Eos locos respicimus, ubi poeta de illecebris malorum exemplorum agit et de iis gradibus, quos habet corruptela, ex parvo initio orta, deinde quasi vires et incrementa sumens, donec tandem miseros homines penitus obstringat et devinciat. Causam exponit poeta vv. 31—33:

---

[1]) Bergmüller l. l. p. 20.

sic natura iubet: velocius et citius nos
corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
cum subeant animos auctoribus

Et paulo infra hæc addit vv. 40—41:

quoniam dociles imitandis
turpibus ac pravis omnes sumus

Nequitiæ vero gradus esse docet vv. 215 sqq.:

nondum implevere medullas
maturæ mala nequitiæ, ast cum pectere barbam cet.

Cfr. vv. 123 sqq., 138 sqq., 227—234, 244 sqq.

De periculis malorum exemplorum sæpe loquitur:

sed quid
non facient alii, cum tu multicia sumas
Cretice (II. 65—67)

scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
atque alios mores, quam quos habet? (VI. 239—240)

quæ non faciet quod principis uxor? (VI. 617)

res haud mira tamen citharoedo principe mimus
nobilis (VIII. 198—199)

De gradibus corruptelæ cum aliis locis tum his agit:

foedius hoc aliquid quandoque audebis amictu:
nemo repente fuit turpissimus. accipient te
paulatim, qui cet. (II. 82—84)

tamen ad mores natura recurrit
damnatos fixa et mutari nescia. nam quis
peccandi finem posuit sibi? (XIII. 239—241).

Satis sit hæc exempla temere collecta adferre. Comprobant ex aliqua parte quæ demonstrare voluimus: idem de his rebus esse iudicium scriptoris satiræ quartæ decimæ atque scriptoris ceterarum satirarum.

Iam si ad singulos versus examinandos transimus, primum dicendum est de vv. 15—18:

> mitem animum et mores modicis erroribus æquos
> præcipit atque animas servorum et corpora nostra
> materia constare putat paribusque elementis,
> an sævire docet Rutilus?

Ambigitur enim de verbo putat v. 17. Quod cum Wakefieldus ægre ferret et simul attributum substantivi materia desideraret, pro putat pari scripsit. Attributum vero substantivi materia ex adiectivo paribus eodem iure sumere possemus, si eo omnino opus esset, quo XIII. 28:

> nunc ætas agitur peioraque sæcula ferri

ubi ad vocem ætas adiectivum, quod est peior, e voce peioraque sumptum, audimus. Re vera, si pari legeremus, materia duo attributa haberet. Sed neque opus est pari scribere neque, si putat retinemus, pari ex paribus sumere. Attributum substantivi materia invenitur in priore versu: nostra; corpora enim coniungendum est cum servorum, non cum nostra. Neque est cur verbo, quod est putat, lædamur, inter præcipit et docet posito, cum propinqua eorum significatio dici possit.

V. 25 Kiærius adiectivum rusticus cum carcer coniungit, quod hoc substantivum attributum requirat [1]).

[1]) Kiær l. l. p. 79.

Multo melius esse mihi videtur post carcer interpungere et rusticus verbo exspectas adnectere. Iuvenalis dicere vult, rusticum tantum hominem pudicitia mulierum confidere. Cfr. quæ dixit VI. 55—57:

> magna tamen fama est cuiusdam rure paterno
> viventis? vivat Gabiis ut vixit in agro,
> vivat Fidenis, et agello cedo paterno

De odio poetæ in mulieres, quod hoc quoque loco patefacit, vix est quod moneam: notum est ex omnibus fere satiris eius (Cfr. Weiseum p. 16).

Tam ineptos vv. 31—33 Ribbeckius esse dicit [1], ut alteros iis similes apud Iuvenalem frustra quæras. Quid hoc est? Nonne et vera sunt, quæ in iis dicuntur, et bene composita? Quidnam haberet, quod in iis vituperaret, non protulit. Legit ille quidem subeunt (v. 33), quæ lectio, quamquam in cod. P. est, removenda videtur; altera illa, subeant, quam ex ω recepit Iahnius, meliorem reddit sententiam. Domestica pertinet ad exempla (Hermannus non recte interpungit ante hoc adiectivum), nam sermo est de iis ipsis exemplis, quæ parentes liberis dant, et parentes magni auctores iure appellantur.

Rectius Weiseus cum de pravis transitionibus in ea parte, quæ vv. 74—85 continet, loqueretur, eam vituperare potuisset, quæ est v. 81, quam eas quæ sunt v. 74 et v. 77, nam illud sed molestum est:

> sed leporem aut capream famulæ Iovis et generosæ
> in saltu venantur aves

[1]) Ribbeck l. l. p. 28.

Si poeta sibi constare voluisset, aquilas quoque, nulla coniunctione adhibita, inducere debuit: Vix enim opus erat alterum genus avium alteri opponere. Conferri ea transitio potest, quæ XI. 136 est:

sed nec structor erit cet.

Altera transitio fit per particulam sed v. 117:

sed crescunt quocumque modo maioraque fiunt

sed cum hunc versum spurium esse arbitrer, non habeo quod de transitione addam. Divitias quocumque modo crescere, vel ex eo intellegi potest, quod iam supra dixit poeta, cum avaritiam vitium nominaret, speciem tantum et umbram virtutis habens. Etiam v. 125:

mox adquirendi docet insatiabile votum

reiciendus est. Dicuntur enim iuvenes v. 124 patre duce minimas ediscere sordes; harum exempla inde a v. 126 adferuntur, quam ob rem hi versus inter se non male cohærent, quæ cohærentia, si v. 125 retinemus, omnino tollitur.

Particulam, quæ est interea, in transitionibus Iuvenalianis sæpe usurpari, supra ostendimus. Cfr. II. 137, VI. 149, 461, VIII. 155, XI. 14, 193. In satira quarta decima rursus occurrit v. 138. Occupationis exemplum est v. 153, alia inveniuntur I. 150, II. 70, VI. 55, VII. 105, X. 324, infra v. 224 cet. Interrogatio illa, quæ est vv. 177—178, comparari potest cum VII. 103. Bergmueller [1]) propositionem constituit v. 176, assumptionem

[1]) Bergmüller l. l. p. 28.

v. 177, conclusionem vv. 173—175, quod nimis laboriosum videtur. V. 204 illa verba: lucri bonus est odor ex re qualibet, per asyndeton adduntur. Omissio particulæ causalis non rara est. Cfr. I. 161, 169, II. 47, III. 53, IV. 70, VI. 97, 208 cet.

Inter eos versus Iuvenalianos, de quibus viri docti maxime disceptant, hi nominandi sunt (227 sqq.):

nam quisquis magni census præcepit amorem
et lævo monitu pueros producit avaros
et qui per fraudes patrimonia conduplicare
dat libertatem et totas effundit habenas
curriculo, quem si revoces subsistere nescit

Heinrichius [1]) Rupertio auctore v. 229 respuit et apodosin a v. 230 incipere contendit, neque tamen ut Rupertius quem (v. 231) ad equum l. filium refert sed ad pueros (v. 228).

Pinzger [2]) quoque v. 229 spurium esse iudicat: neque enim poetam hic loqui de malis et scelestis parentibus, qui fraudibus pueros instituant, sed de avaris tantum. Quem (v. 231) significare dicit puerum; id verbum e verbo, quod est pueros v. 228, repeti facillime posse.

Bogenius [3]) aliam viam ingreditur. Censet ille v. 229 retinendum esse et ab eo versu apodosin incipere, cum inter se parva peccata et fraudes opponantur. Qua de causa exordium v. 229 mutat et legit:

---

[1]) Heinrich l. l. II. p. 490.
[2]) Pinzger l. l. p. 7.
[3]) Bogen: De locis aliquot Iuvenalis cet. pp. 40—47.

nam quisquis magni census præcepit amorem
et lævo monitu pueros producit avaros:
æque per fraudes patrimonia conduplicare
dat libertatem et totas effundit habenas
curriculo

hoc est, inquit, libertas datur fraudibus æque, quas pater non suadet, ac levioribus delictis, quæ pater probat, patrimonia conduplicandi. Sic hos versus eandem sententiam atque vv. 235—238 habere dicit, similesque sententias simili ratione dispositas esse ac dispertitas.

Ribbeckius [1]) Iahnium laudat, quod v. 229 cancellis circumscripserit, cum ille versus, sive constructionem verborum respiciamus sive sententiam ipsam, tolerari non possit.

Kiærius [2]) v. 229 non respuit, sed cohærentiam sententiarum alio modo defendit. Particulam et (v. 228) idem significare asseverat atque etiam, sententiamque loci hanc esse demonstrat: quisquis præcepit magni census amorem, producit etiam pueros avaros; et qui per fraudes patrimonia conduplicare præcepit, dat libertatem curriculo.

Nemini eorum contigit ut, quo referendum illud quem (v. 231) esset, satis dilucide demonstraret. V. 229, qui etiam in cod. P. est, retineri potest, sed haud scio an lacuna post eum statuenda sit. In eo versu, qui excidit, verbum aliquod fuisse veri simile est, ad quod illud quem referretur. Idem est iudicium Schulzii, qui

---

1) Ribbeck l. l. p. 46.
2) Kiær l. l. pp. 67—69.

me audacior illum versum restituere conatus est [1]). Is legit:

nam quisquis magni census præcepit amorem
et lævo monitu pueros producit avaros
et qui per fraudes patrimonia conduplicare
non metuant: iuvenis semper sic doctus equis mox
dat libertatem et totas effundit habenas
curriculo; quem si revoces cet.

Quod de insidiis parentibus a filiis paratis dicitur vv. 250 sqq. comparari potest cum VI. 629 sqq., ubi pericula, quæ filiis impendent, exponuntur. Vv. 262 sqq. a Weidnero male explicantur: quid ludis intersis, cum tua negotia pluris facias? Sententia est: qui avarorum hominum ardens studium contemplatur, is ludis et theatris carere facile potest.

---

[1]) Schulz: Quæst. Iuvenal. capita tria. Berol. 1885.

Satira XV.

Satiram quintam decimam ab eo, ad quem refertur, conscriptam esse, multi non putant, qua de re infra iudicabimus, cum quale argumentum satiræ sit viderimus.

In exordio poeta agit de superstitionibus Aegyptiorum, apud quos varia animalia tamquam deos coli ostendit; Aegyptios igitur carne horum animalium religiosissime se abstinere, quod de herbis quoque certis valere demonstrat. Nefas illic esse animalia iugulare, humanis corporibus vesci licere (vv. 1—13). Talia, inquit poeta, cum Ulixes Phæacibus narraret, ut mendax aretalogus merito in mare abici debebat, neque id mirum, cum in anilibus fabellis narrandis nullos testes producere posset (vv. 14—26). Se vero poeta confirmat rem enarraturum, non minus incredibilem, sed nihilo minus veram et testimoniis multorum testium comprobatam (vv. 27—32).

Transit igitur ad facinus quoddam exponendum, quod in Aegypto non multo ante commissum erat. Inter duas vicinas gentes, Ombitas et Tentyritas, cum veteres essent simultates, tandem rem eo venisse, ut Tentyritæ insidias Ombitis pararent, victoriam se facile reportaturos sperantes ab adversariis, qui in eo occupati essent, ut

festum celebrarent; Tentyritas tamen præter opinionem victos et fugatos esse, quorum e numero cum unus prolapsus cecidisset, ab Ombitis eum captum et non modo interfectum verum etiam dilaceratum et consumptum esse (vv. 33—92).

Non negat poeta, cadavera humana ab hominibus aliquando consumpta esse, sed hoc excusari posse contendit, si causæ eius modi foedorum scelerum considerentur. Calagurritanos, cum urbs eorum a Pompeio obsideretur, se cadaveribus uxorum et liberorum aluisse, tamen rem esse diversam, quoniam ii, belli et obsidionis necessitate coacti, ad illa facinora confugerint; Ombitarum scelus nullo supplicio expiari posse (vv. 93—131).

His nefandis sceleribus poeta mutuum illum amorem opponit, quem natura hominibus ingenuit; quem si tamquam ducem sequerentur, numquam eos vitiis flagitiisque se inquinaturos sed bene beateque victuros demonstrat (vv. 132—174).

Quod argumentum cum Kempfio ineptum esse videatur, satiram quintam decimam a Iuvenale abiudicat, eam quoque causam adferens, quod in quibusdam codicibus hæc satira post satiram sextam decimam legitur [1]). Hæc vero sententia Kempfii iam a Palmio optimis, ut mihi quidem videtur, argumentis refutata est [2]).

---

[1]) C. Kempf: De satira XV, quæ sub Iuvenalis nomine circumfertur, Berol. 1843.

[2]) G. Palm: De Iuvenalis satira quinta decima disputatio, Nordh. 1882.

Weidner non multa invenit, quæ in hac ecloga artem satirarum scriptoris prodant, quam ob rem coniectat, eam post mortem Iuvenalis ceteris satiris additam esse; neque enim Iuvenalem eam scripsisse negat, sed epistulam potius ad familiarem amicum missam opinatur, quam satiram eodem quo ceteras consilio compositam.

Iuvenalem hanc satiram scripsisse, ut grave vulnus Aegyptiis infligeret atque ut barbariam eorum simul cum superstitionibus vanisque religionum cærimoniis vehementer castigaret, neminem, opinor, fugere poterit. Constat ex 174 versibus, quorum in 131 de Aegyptiis agitur. Primum enim, ut vidimus, poeta de diis eorum iocatur multaque apud eos fieri contendit, quæ mira iure dicenda sint (vv. 1—32). Refert deinde atrox feritatis eorum exemplum (vv. 33—92). Tum addit, similia exempla etiam in aliis populis inveniri posse, sed non ex simili causa orta et ideo toleranda (vv. 93—131). Postremo transit ad mutuum hominum amorem laudandum (vv. 132—174). Nonne hæc omnia comprobant quæ dixi, Iuvenalem, cum hanc satiram componeret, Aegyptiis notam turpitudinis inurere voluisse? Recte monet Palmius, perperam Kempfium iudicasse, cum in ea re summam carminis positam esse diceret, ut Iuvenalis Romanos admoneret, ne simile flagitium committerent [1]).

Id etiam probo, quod eodem loco Palmius dicit, Hadriani ætate Romanos peregrinas religiones multo pluris quam patrias fecisse, poetamque hac satira populares

---

[1]) Palm l. l. p. 3.

suos tecte admonere, ne istis importatis religionibus nimis se dedant. Addit Palmius poetam, quamvis a peculiari Aegyptiorum immanitatis exemplo proficiscatur, ad totam suam ætatem totumque genus humanum spectare; quod contra Kempfium Weidnerumque confirmat, qui tantum modo illas duas gentes Aegyptias respici putant. Qua in re Palmium laudo, sed ita ut has laudes cum Kempfio Weidneroque communicet, quorum sententia etiam probanda est. Ille enim ea magis respicit, quæ in posterioribus versibus, hi quæ in prioribus tractantur. Mihi quidem universam satiram consideranti poeta de Aegyptiis quidem agere videtur, ita tamen ut omnes homines, quid ad veram humanitatem cultumque pertineat, inde discant.

Weidnerum argumentum huius eclogæ insolitum esse atque a satira alienum putare, supra dixi. Credo tamen Iuvenalem ne in hac quidem a suo genere scribendi desciscere. Nam ut a vv. 1—13 incipiamus, quis eum non agnoscat? Inde a verbo, quod est demens (v. 1), usque ad ea, quæ, ut sæpissime apud eum fit, per asyndeton adduntur: carnibus humanis vesci licet, omnia, nec minime sane exclamatio ea, quæ est v. 10, sermonem Iuvenalianum mirum quantum resipiunt. Quid? qui sequuntur vv. 14—26 num Iuvenale, num satira indigni? Mendax ille aretalogus, quem unus ex Phæacibus, nondum ebrius, in mare abici iubet, quod Elpenora grunniisse commentus est, num inepte inducitur? In rixa describenda inde a v. 33 poeta iocose agere non semper potest, quia in re nefanda versatur, tamen in initio, post-

quam fractos nasos, ruptas genas, hiantia ossa, clausos oculos commemoravit, iucundissimos hos versus addit (59—60):

> ludere se credunt ipsi tamen et pueriles
> exercere acies, quod nulla cadavera calcent!

Mox ii sequuntur (vv. 65 sqq.), qui sunt de Turno, Aiace cet.: aptine an inepti? Quid de v. 112 dicendum? Sic poeta a iocoso genere dicendi ad elatam illam et magnificam orationem sensim transit, qua inde a v. 131 delectamur quæque profecto digna est non modo Iuvenale, verum optimo quoque ex iis magnis scriptoribus, quos tulit antiquitas.

Duas molestas digressiones, quarum una vv. 44—46, altera vv. 47—48 complectitur, Palmius ab interpolatore insertas esse confirmat, qui intemperantiam luxumque Aegyptiorum stolide miratus facere non potuerit, quin indignationem suam malis quibusdam versibus posteris traderet [1]). Iahnius eos uncis includit; Heinrichius spurios eos esse aperte pronuntiat, iudicium Franckii comprobans. Miror integritatem horum versuum a viris doctis tanto studio impugnari. Quamvis enim digressiones sint, orationem nullo modo inepte interrumpunt. Usitatissimas apud Iuvenalem id genus digressiones esse, notum est; infra vv. 65 sqq. alteram habemus, qua finita poeta his verbis eo redit unde aberravit, v. 72:

> a deverticulo repetatur fabula

Hoc Palmio facile concedo, festi descriptionem, deletis vv. 44—48, non interrumpi, sed quænam hæc causa

---

[1]) Palm l. l. p. 6.

est? Si omnes ii versus, qui orationem quodam modo interrumpere videantur, a Iuvenale abiudicaremus, opus æque laboriosum profecto ac inutile susciperemus. At, dicunt qui hos versus delent, ferri non potest ea oppositio, quæ est inter Aegyptum et Canopum. Iis respondeo, non Aegyptum et Canopum sed barbaram turbam et luxuriosos Canopitas inter se opponi. Quod dicit Palmius (ad vv. 47—48), credi non posse, homines vino adeo obrutos ab impetu ieiunorum diu fortiterque se defendisse, non dicuntur ii ebrii fuisse; hoc tantum dicit poeta, Tentyritas facilem victoriam se reportaturos sperasse, cum Ombitas temulentos esse opinarentur.

Alia parenthesis vv. 69—71 invenitur, quam qui legerit sine ulla dubitatione laudare poterit. In qua rursus poeta eodem quo tot aliis locis modo de invisis Græcis cavillatur, nam ut exempla ex hac tantum satira sumamus, vv. 13 sqq. ea irridentur, quæ de erroribus Ulixis narravit Homerus, cuius poetæ carmina etiam vv. 65 sqq. strictim attinguntur; paulo infra (v. 117) Iuvenalis se carminibus Græcorum poetarum non magnam fidem habere iterum profitetur. Cfr. VI. 643—644, X. 173 cet. De ea parenthesi, quæ est vv. 84—87, iudicium severum et Ribbeckius et Kempfius fecerunt, neque tamen recte iudicant, id quod Palmius ostendit, cum contra Ribbeckium adfert, poetam v. 86 non ignem sed Volusium Bithynicum alloqui, contra Kempfium monet, verba poetæ (v. 84) acerbissimæ irrisionis plena esse [1]).

[1]) Palm l. l. p. 8.

Quare cum id Palmio assentiar, non probo Hermannum, qui hæc verba:

> elemento gratulor et te
> exsultare reor

uncis includit, hoc addens: sat. XV. vv. 86—87 interpolatoris nugas etiam Orellium deprehendisse lætor [1]).

Præterea non multi versus ab editoribus in satira quinta decima pro spuriis habentur. Vv. 97—98:

> huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
> exemplum esse cibi, sicut modo dicta mihi gens

a Iahnio et Weidnero delentur. Re vera hos versus delendos esse crediderim; recte enim Ribbeckius dicit [2]) difficile esse intellegere, quid sibi velit illud: huius, quod nunc agitur exemplum cibi, cum aut hoc — exemplum aut huius, qui nunc agitur, potius dicendum sit; iureque usum verbi, quod est sicut, pro si quidem positi, non tolerat.

Præter ea, quæ supra diximus, nonnulla in hac satira digna sunt, quæ attendamus. Satira ab interrogatione incipit, simile exordium est satt. I. VIII. XVI. Altera persona loquens subito inducitur v. 16, quod apud Iuvenalem sæpe fieri iam ostendimus. Cfr. V. 74, 135, VI. 492, VII. 158, XIV. 60 al. Opponit poeta inter se Ulixem et nos vv. 26 sqq., et vocabulum, quod est nos, ut graviorem vim habeat, v. 29 iteratur. Similis est hic locus alteri, qui est VI. 622 sqq., ubi boletus et hæc potio inter se opponuntur et verbum, quod est hæc,

---

1) Hermann in præf. p. XXXII.
2) Ribbeck l. l. p. 48.

ter iteratur. Ita Iuvenalis sæpe facit, cum verba maiore pondere efferre vult, cuius rei aliud exemplum est VIII. 215 sqq. Cfr. quod in satira quinta decima alio loco (vv. 93—95) legitur:

Vascones, hæc fama est, alimentis talibus olim
produxere animas: sed res diversa, sed illic
fortunæ invidia est cet.

Imperativum illum accipe v. 31 habemus. Alter ille, qui est adde, v. 47 adhibetur: similia exempla iam antea vidimus. Supra de his versibus 47—48 locuti sumus et integritatem eorum defendimus, cum cohærentiam sermonis eos nullo modo turbare aut abrumpere diceremus. Quos quamvis parenthesis loco habeam, tamen causam continent, cur Tentyritæ in adversarios impetus faciendi consilium ceperint. Bergmueller Palmium reprehendit, negans eum sententiarum nexum intellexisse [1]; tres enim ille causas consilii Tentyritarum poetam enumerare ostendit, sed non video, cur non possit poeta tertiam illam causam quasi in parenthesi includere; nexus sententiarum non ideo læditur.

Bergmueller: versus 69—72, inquit, nec elegantes esse nec acumen prodere, Iongio (l. c. p. 95) nemo non concedet; verum tamen quod ille dicit, ab interpolatore versibus 65—68 lectis cupidine abrepto eruditionem suam ostentandi compositos esse, a vero abhorret [2]. Quod de acumine poetæ dicit non comprobo; omnino Bergmueller

[1]) Bergmüller l. l. p. 32.
[2]) Ib. p. 63.

de arte Iuvenaliana nimis leve iudicium facere videtur. Sed quod dicit, de interpolatis versibus 69—72 eo maiore iure laudare possum, quod ipse plurimis locis ostendi, poetam non ut eruditionem suam atque copiosam doctrinam ostentaret, exempla illa ex antiquis fabulis sumpta attulisse.

Reditus ad propositum est v. 72. Ad vv. 86—87 Kiærius adnotat [1]), pronomen in priore sententia durius audiri, nisi locus ita accipi debeat, ut poeta non tam pronomen omiserit quam orationis formam mutaverit. Credo poetam Volusium alloqui, ut non opus sit in priore sententia pronomen audire. In vv. 95—96:

> fortunæ invidia est bellorumque ultima, casus
> extremi, longæ dira obsidionis egestas

copiam quandam verborum inesse, non nego, sed propter hoc a Iuvenale non abiudicandi sunt. Poeta hoc loco in mentibus eorum, qui legunt, insculpere vult, qualis inter Calagurritanos et Ombitas ratio intercesserit, quam ob rem cum facinus illorum miseriæ excusationem habere demonstrare velit, de necessitate quam apertissime loquitur. Quod poeta v. 112 narrat sine dubio fictum est: sic gravior ironia fit. Weidneri de hoc loco sententia alia est, sed mihi quidem poeta Thylen elegisse videtur, ut melius nobis ante oculos poneret, quam nudus humanitate orbis terrarum re vera esset, quamvis hæc humanitas ubique radices egisse crederetur.

Vv. 119—123 crebras interrogationes continent, ut fit apud Iuvenalem, cum studio et ardore inflammatur.

---

[1]) Kiær l. l. p. 26.

Cfr. X. 90 sqq., 183—185 cet. Alia interrogatio, non ignota nobis, v. 140 occurrit. Et quoniam de interrogationibus sermo est, addamus, satiram quintam decimam, quem ad modum ab interrogatione incipiat, sic etiam similem exitum habere.

Restat ut aliquid de ea quæstione addam, quæ magna ex parte orta e vv. 44—46 huius satiræ tot curas viris doctis attulit, quæstionem dico de exsilio Iuvenalis. Ambigi enim satis notum est et de ipso exsilio et de genere exsilii et de loco exsilii. Quæ quæstio ad liquidum sine dubio numquam explorari poterit, nam quæ de ea veteres nobis tradiderunt adeo confusa et contraria sunt, ut quid verum sit, quid falsum, nisi coniecturis diiudicare non possimus. Qualem exitum Iuvenalis habuerit, numquam, opinor, compertum habebimus. Pulsum esse eum aliquando patria veri simile videtur, de ipsa forma poenæ disceptari potest, eo magis quod illis temporibus genera poenarum et relegationum nondum inter se satis distincta erant [1]).

Quæ cum ita sint non mirum est, sententias virorum doctorum valde contrarias esse. Quarum ut nonnullas adferamus, Hermannus: Traianus, inquit [2]), certe Iuvenalem in exsilium mittere vix potuit, sin hoc a Domitiano propter Paridem factum esse statuimus, ipsum

---

[1]) L. M. Hartmann: De exilio apud Romanos inde ab initio bellorum civilium usque ad Severi Alexandri principatum. Berol. 1887 p. 49.

[2]) C. F. Hermann: De Iuvenalis sat. VII. temporibus. Gotting. 1843 p. 17.

tempus — — egregie convenit cum eo, quo Agricola bellum ex Britannia in Caledoniam transtulit. Franckius: si tam ipsa (de exsilio Aegyptio) mentio, quam lepidum Scoticæ relegationis commentum ludicras. grammaticorum redolet quæstiones — licebit, opinor, iam iterum pronuntiare, actum esse de exsilio Iuvenalis [1]). Ribbeckius: Hadrianus octogenarium cohorti 'in extrema Aegypti parte tendenti' præfecit, ibique senio ac morbo confectus duo post annos mortuus est Iuvenalis [2]) (Idem est iudicium Heinrichii l. l. II. pp. 20—21). Weidner credit eum in exsilium ab Hadriano missum esse, quinque et sexaginta annos natum, sine dubio in Aegyptum, atque ibi mortem obiisse [3]). Strackius censet ficta esse quæ de exsilio commemorantur, addit tamen Iuvenalem, si in exsilium missus sit, a Traiano, non ab Hadriano aut Domitiano pulsum esse [4]). Naguiewskius coniectat, Domitianum, ira motum ob VII. 90—92, cum flaminem divi Vespasiani lædere non auderet, Iuvenalem præfectum cohortis fecisse eumque in Aegyptum misisse; putat tamen Iuvenalem, Traiano imperatore, inde Romam rediisse et paulo post tribunum coh. I. Delmatarum in Britanniam se contulisse [5]). Friedlaender nihil pro certo statuere

---

[1]) I. V. Francke: De vita Iuv. quæstio altera. Dorp. 1827 p. 24.

[2]) O. Ribbeck: D. I. Iuvenalis Saturæ. Lips. 1859, præf. p. XII.

[3]) A. Weidner l. l. præf. §. 23.

[4]) Chr. Strack: De Iuvenalis exilio. Francof. 1880 p. 27.

[5]) D. Naguiewski: De Iuvenalis vita observationes. Rigæ 1883.

audet, sed opinatur Iuvenalem a Domitiano pulsum esse. Neque mirum esse, si poeta in satiris eam rem silentio præterierit, cum nemo memoriam iniucundarum rerum renovare amet [1]),

Si Iuvenalis relegatus est, nec est quod de ea re dubitemus, veri simile est eum ab Hadriano ex Italia pulsum esse. Differentia, quæ est inter priores et posteriores satiras, ita explicari potest, ut ad has componendas Iuvenalem, cum iam senex esset, accessisse dicamus, sed fieri etiam potest, ut non modo senio verum etiam curis et mærore confectus pristinam illam animi acerbitatem fervidamque indignationem mitigaverit. Non omni probabilitate id caret, quod Palmius suspicatur, Iuvenalem tertio libro edito, priusquam quarti satiras componeret, in exsilium missum esse [2]).

---

[1]) Friedländer in recens. I. Vahlenii libelli, Juvenal u. Paris. (Burs. Jahresb. XIV. 1887).

[2]) Palm l. l. p. 15.

Satira XVI.

Quem ad modum non defuerunt, qui satira quinta decima ad Iuvenalem referenda esset necne, dubitarent, sic esse videmus, qui satiram sextam decimam non modo propter argumenti dispositionem, verum etiam propter orationis ieiunitatem ceterasque, quibus laborare videtur, difficultates, magna ab eo fidentia abiudicent, quorum in numero Heinrichius est, cuius in brevi summario, quod ante satiram posuit, verba hæc sunt: ultima hæc satira præmia et commoda militiæ enumerat et, quantum tunc temporis togato anteponatur miles, demonstrat; sed totum carmen Iuvenale indignum atque spurium est [1]. Ribbeckius hanc satiram respuit quidem, sed ita, ut invitus id facere videatur [2]. Hermannus: incertior, inquit, sextæ decimæ origo est, quam qui exploderent Iuvenalisque esse nollent, iam scholiasta novit; eandem tamen si incohatam non absolutam a poeta statuamus, ne illius quidem ingenii vestigiis carere scite Weber animadvertit [3].

Scripta est hæc satira a poeta contra præmia felicis militiæ, ut ipse iam in primo versu confitetur, de quibus

---

[1]) Heinrich l. l. I. p. 149.

[2]) Ribbeck: Der echte u. d. unechte Juv. pp. 71—72.

[3]) Hermann in præf. edit. p. XVIII.

praemiis, cum ad insolentiam militum in togatos et paganos, qui dicuntur, augendam quasi nata viderentur, in tota satura acerbe admodum cavillatus est. Dicit igitur se militiam minime aspernari seque paratum esse tironem fieri (vv. 1--6). Transit deinde ad hæc commoda diligentius explicanda et incipit ab iis, quæ communia appellat, quorum primum hoc esse dicit, quod nemo togatus, etiam si a milite pulsetur, iniuriam ulcisci audeat, quoniam milites a centurionibus et commilitonibus semper defendantur (vv. 7—34). Aliud militiæ emolumentum esse, quod apud paganos iudicia sæpissime proferantur, apud milites non item (vv. 35—50). Porro militibus ius esse etiam vivo patre testandi, cum peculium castrense possideant, patres igitur interdum captatores fieri, ut bona filiorum accipiant (vv. 51—60).

Plura commoda non enumerantur; satira finita est. Incohatam eam tantum esse, non ad finem perductam, vel ex eo apparet, quod v. 7 poeta dicit se primum commoda communia tractaturum; omnia enim, quorum in sequentibus versibus mentio fit, communia omnibus militibus sunt. Nam pulsare togatos (vv. 7—34) omnibus licet; iudicia primo quoque tempore habere (vv. 35—50) omnibus licet (Cfr. vv. 48—50); testamenti etiam vivo patre factionem omnes habent (vv. 51—60). Quæ non communia commoda fuerunt, ea sine dubio poeta in ea parte satiræ, quæ amissa est, commemoravit. Weidner lacunam esse post v. 34 statuit. Non ei assentior. Poeta ab una parte ad alteram more suo transit, addita sententia generali (vv. 32—34), nec inepta aut Iuvenale indigna

transitio est v. 35, ubi particulam nunc coniunctivo adnexam, ut aliis locis imperativo, invenimus.

Heinrichius, qui incorruptam huius satiræ integritatem vehementer impugnat, tamen ipse concedit, proximas causas, quibus eam a Iuvenale non esse scriptam demonstrare possimus, omnino desiderari, cum non magni momenti sit, quod in nonnullis codicibus non inveniatur, nec certa argumenta historica, quæ dicuntur, ex ea ipsa sumi possint [1]).

Quod vero dicit Heinrichius, esse in satira sexta decima versus, qui sermonem Iuvenalianum valde resipiant, et quod in ea Ribbeckius laudat p. 71, id iis facile concesserim. Satiram enim a Iuvenale scriptam esse, cum aliis causis ductus, tum iis, quæ in ipso argumento et in argumenti dispositione sitæ sunt, mihi persuasi.

Nam si de argumento iudicium universe facere volumus, quis non videt, quanta dissimulantia, quam lepido dicendi genere, quanta irrisione poeta utatur, ut quod sibi proposuit ad finem perducat? Magna et vehemens ironia est sermoque ad eam accommodatus; commoda militiæ unum post alterum enumerantur, perpenduntur, laudantur; defendit id poeta, quod defendi nullo modo potest, cavillatur cum iis, quos se defendere simulat. Profecto res, quam sibi proposuit ut tractaret, non male inventa est, non male tractata.

Atque si singula persequemur, multa videbimus, quæ iam ante apud Iuvenalem occurrerunt, quæ ut

---

[1]) Heinrich l. l. II. pp. 516, 543.

melius cognoscamus, satiram paulo diligentius examinemus.

Exordium simile ei esse, quod in satira quinta decima est, supra ostendimus. Sed haud scio an lacuna iam post v. 2 cum Iahnio Weidneroque statuenda sit, recte enim hic monet, non nimis felicem militiam esse, si pavidi tirones nisi secundo sidere castra intrare non audeant. Bergmueller, nihil excidisse putans, particulam nam cum voce versus primi, quæ est felicis coniungit [1]), tamquam si inter se opponantur felix militia et infelix, quod non placet, cum non varia genera militiæ comparentur, sed omnino milites cum togatis, quare maioris ponderis est verbum, quod est militiæ, quam verbum illud felicis.

De secundis sideribus fatique potentia eodem modo hic loquitur poeta, quo VII. 194, IX. 32. Circuitionem, quæ v. 6 adhibetur, magnam cum aliis apud Iuvenalem eiusdem rei exemplis similitudinem habere, etiam ii concedunt, qui cum Heinrichio hanc satiram spuriam esse putant.

Propositio ea, quæ est v. 7, invenusta a Bergmuellero appellatur atque declamatoris alicuius effigiem referre dicitur [2]). Esto, sed non hoc tantum loco illud vitium a Iuvenale commissum est. Similis fere versus ad transitionem parandam V. 12 usurpatur. Quod v. 10 de dentibus excussis commemoratur non multum ab eo distat, quod de eadem re legitur III. 301. Bardaicus calceus et grandes suræ (vv. 13—14) apte inducuntur, ut infra

[1]) Bergmüller l. l. p. 63.

[2]) Ib. p. 7.

(v. 24) caligæ et clavi; de clavis militum poeta etiam III. 247—248 iocatur.

Non raro fit in satiris Iuvenalianis ut poeta, postquam unam vel plures interrogationes inseruit, sententiam addat, quæ consilium aliquod contineat quæque idem fere significet ac si per particulam, quæ est ergo, inducatur. Legimus vv. 25—28:

quis tam procul absit ab urbe
præterea, quis tam Pylades, molem aggeris ultra
ut veniat? lacrimæ siccentur protinus, et se
excusaturos non sollicitemus amicos

Cfr. ea, quæ leguntur III. 160—163:

quis gener hic placuit censu minor atque puellæ
sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres?
quando in consilio est ædilibus? agmine facto
debuerant olim tenues migrasse Quirites

Cfr. VII. 146—149. Magnam similitudinem intercedere inter vv. 29—32:

audeat ille
nescio quis, pugnos qui vidit, dicere vidi:
et credam dignum barba dignumque capillis
maiorum

et eos, qui VI. 56—57 inveniuntur:

vivat Gabiis, ut vixit in agro,
vivat Fidenis: et agello cedo paterno

negari non potest. Iam poeta, postquam priorem partem sententia quadam generali, ut facere solet, finivit (vv. 32—34), ad aliam partem hoc modo transit:

præmia nunc alia atque alia emolumenta notemus
sacramentorum

quæ transitio simillima ei est, quæ usurpatur III. 268:

respice nunc alia ac diversa pericula noctis

Cfr. X. 209. Hac parte satiræ finita, ad sequentem transitio fit per particulam, quæ est præterea, v. 51:

solis præterea testandi militibus ius
vivo patre datur

quæ particula supra adhibita est v. 26. Notissima eius usus exempla sunt in satiris Iuvenalis, ut III. 109:

præterea sanctum nihil est nec ab inguine tutum

Cfr. IX. 89, X. 217, XI. 70, XIII. 229 al. Verba quæ sunt: ergo Coranum cet. (vv. 54—56) summam irrisionem habent et cum iis conferri possunt, quæ III. 43, VI. 565, XIV. 251 leguntur.

Utrum satira sexta decima lepide et concinne sit composita necne, disceptari potest, de scriptore, mea quidem sententia, ambigi non potest. Quæ attulit Heinrichius ut demonstraret, satiram non a Iuvenale scriptam esse, ea non tam gravia esse videntur, ut fidem nobis faciant. Sint præterea in ea, quæ aut obscure aut non satis belle dicantur, tamen considerandum est, extremam non operi manum accessisse. Si satira ad finem perducta esset, magnam eam, quod ad argumenti dispositionem attinet, similitudinem cum satira decima habituram fuisse, veri simile est, cum in utraque singulæ, ex quibus constant, partes accurate inter se et diligenter distinctæ sint.